




MICHEL
MAIER
THEMIS
AUREA
1618
















THEMIS AVREA,
hoc est,
DE LEGIBVS FRATERNITA-
TIS R. C.

TRACTATVS,

Quo

*EARVM CVM REI VERITATE CONVE-
nientia, Vtilitas publica & priuata, nec non causa necessa-
ria, euoluuntur & demonstrantur.*

Authore

MICHAELE MAIERO IMPERIALIS CONSIST.
Comite, Equite, Exempt. Phil. & Med. D. &c.



FRANCOFVRTI, Typis Nicolai Hoffmanni,
sumptibus Lucæ Iennis, 1618.







PRÆFATIO AD LECTOREM.

THemis, Dea antiquissima, post diluuium à Deucalione & Pyrrha consulta, quomodo genus humanum, aquis deletum, ipsis senibus, restaurari & multiplicari facile posset, de Magnæ Parentis ossibus post tergum iaciendis responsum dedisse fingitur, quod cum de lapidibus illi interpretati recte intelligerent, effectum quæsitum obtinuerũt:

Vnde prima legum promulgatrix Themis habetur, cujus tamen responsio non de hominibus reparandis à vetustissimis Poetis accepta fuit, at de duobus lapidibus, masculo & fœmina, à quibus multiplicatio Medicinæ aureæ causata est: Masculus enim Deucalion & Pyrrha eius vxor sunt Gabritius & Beia, Sol & Luna, qui duo per lapides proiectos sui generis restaurationem millecupla sobole instituunt & peragunt: Pyrrha rubea est carne intus, licet extus candidula appareat, vnde & Albifica & Blanca ab aliis cognominatur: Deucalion alter est leo, non corpore, sed animo,

non forma, ſed affectu, quo ſæuit in ſuam vxorem, donec eam interficiat, & ſecum pelle leonina induat. Ad eam de Themidis oraculo mentem rariſſimi acceſſerunt, cum quilibet de hiſtoria aut morali expoſitione, quæ neutiquam hic locum habent, interpretetur. Cauſa itaq; ſit euidẽs, cur hunc tractatum, agentem de Legibus aureolis Fraternitatis R. C. THEMIDEM AVREAM inſcripſerim, quem tuo arbitrio candido diiudicandum obfero: Cum enim hominis ſit ratiocinari, & de rebus dubiis mente diſcurrere, æque vt auis eſt volare & equi per campos fugere, hinc, vt veritas

eo fiat manifestior intelligenti, hanc quoque scriptionem subire non neglximus: De coticula dicitur, quod ipsa non acuta acuat alia, & de Chalybe, quod ex silice ignem , qui in neutro est actu, excutiat: Talis ipse videar, dummodo tibi hinc commoditas proueniat, quam, qualiscunque sit futura, pro æquanimitate & synceritate tua non aliter quam humaniter & dextre accipies & interpretaberis. Vale.

EPI-



EPIGRAMMA AVTHORIS.

VIx bene de foliis, at fructu nobilis arbor
Noscitur, & non ex pelle, sed Vngue Leo.
Vua nec è ficu legitur, neque palmite grossi,
Lilia dantque rosæ nulla, nec illa rosas.
Indole quæque sua Naturæ semina pollent,
Resque solet patrium cuncta referre genus.
Haud secus ex propriis apparet LEGIBVS ORDO,
Qui medicas ægris porrigit Vltro manus:
Quales arte sua generosior indicet ortus,
Fama perspicuos ediderit que Libros.
Non odor inde lucri, nec honoris quæritur illis
Ambitus, ingrata est luxuriosa lues:
Inseruire Deo, nec non mortalibus, vna
Omnibus incumbit cura, leuare malum.
Fœdera concordi iungunt socialia mente,
Dogmate & illustri sunt pietate pares.
Per gratas arcana vices sibi mutua reddunt,
Naturæ fuerint quæ patefacta sinu.
Inuidiæ non Vlla seges, nec litis iniquæ,
Quæ didicit, socios quisque docere cupit.
Candor & ingenuus seruat pudor ostia, VIRTVS
Et VERVM *decorant culmina summa domus.*
Hæc est porticibus schola doctior arte Lycæi
Aurifera, platanus atque Epicure, tuis.
Huic cedat meritis Academia magna Platonis,
Dictaque quæ celebri nomine Stoa fuit.
Aurea in hac vna remanet Sapientia sede,
Et Charites tantis cuncta dedere Viris.



INDEX
SVMMAM SINGVLORVM CAPITVM HVIVS tractatus monstrans.

CAP. 1.

QVod omnes leges, quibus Themis præficitur, ad vtilitatem eorum, quibus præscripta sunt, spectare debeant.

CAP. 2.

Leges eas, quas Fraternitati R. C. primus author, aliis incognitus, præscripsit, ordine narratas, non esse nisi bonas & licitas.

CAP. 3.

Quis effectus in genere sit harum legum, & quæ circumstantiæ Loci, mediorum, finis & temporis.

CAP. 4.

Quæ prima lex, & quanta Medicinæ sit digni-

gnitas præ reliquis artibus, cui Fratres primas dederunt.

Cap. 5.

Quod medicatio, cum remediis specificis seu occultæ proprietatis, quibus dicti Fratres vtuntur, facta, sit naturæ humanæ acceptissima, & morbo magis contraria, quam alia.

Cap. 6.

Quod, licet alij medici sua mercede dignissimi sint, tamen Fratres singulis medeantur gratis, non æstimantes valorem auri.

Cap. 7.

Abusus quidam taxantur in medicina, primo, quod longæ Receptæ præscribantur communiter non tam in ægri commodum & morbi necessitatem, quam Pharmacopæi lucrum & Medici ostentationem, ne hic Empyricus videatur, cum satius sit paucis & probatis vti simplicibus.

Cap. 8.

Secundo, quod Medicamenta magnifici tituli ab aliis fiant ex opinione hominum preciosis, cum alias vilioribus & vernaculis curari ijdem morbi possint, sed non ita gratis.

CAP. 9.

Quod multi medicorum abhorreant ab omnibus Chymicis, non pauci à vegetabilium classe petitis & Galenicis Remediis, quorum neutrum fieri debeat, demonstratis causis, cum vtrisque pro casus varietate, vtendum sit.

CAP. 10.

De vitiis in persona medici non tolerandis, à quibus Fraternitas R. C. immunis est.

CAP. 11.

An dicti Fratres vocati ad morbum aliquem curandum teneantur comparere, & num absq; discrimine omnes morbos tam incurabiles, quàm curabiles, & demonstratur, quod neutrum.

CAP. 12.

Quo remediorum genere vtantur, quod esse non nisi licitum & naturale, probata causa, asseritur.

CAP. 13.

Secunda lex Fraternitatis R. C. quod sit de habitu peregre ituris mutando ex necessitate & absque præiudicio alterius.

CAP.

CAP. 14.

Tertia lex est, quod quotannis ad certum diem & locum conuenire debeant, vt nimirum fiat animorum coniunctio, inque rebus arcanis collatio.

CAP. 15.

Quarta lex est de Persona in locum cuiuslibet idonea eligenda, ad Fraternitatis continuationem inuenta, cum indiuidua perdurare nequeant.

CAP. 16.

Quinta lex, quod literæ R. C. Fraternitati debeant vsurpari pro symbolo characteristico, seu sigillo, quo agnoscatur.

CAP. 17.

Sexta & vltima lex est, Fraternitatem R.C. centum annis occultari debere.

CAP. 18.

Quid commodi vel incommodi ex Fraternitate illa in perpetuum tecta, vel certo tempore (vt iam factum) detecta Reipub. & literariæ accidere possit.

CAP. 19.

Quod multa fabulosa sub Fraternitatis nomine

mine

mine ſpargantur, quorum tamen non illa, ſed effrenata multicipitis beluæ, hoc eſt, vulgi, iudicandi de non intellectis libido, cauſa ſit, vt ſolet quoque in aliis.

Cap. 20.

Quod Fratres R. C. nullam reformationem in mundo, religione, Iudæorum conuerſione, Politia, qualem Enthuſiaſtæ quidam etiam ex ſacris adducentes ad id probandum ſententias, ſomnient, ſperent aut intendant, at veritati & Iuſtitiæ ſe ſemper addictos teſtentur.



CAP. I.

Quod omnes leges, quibus Themis præficitur, ad vtilitatem eorum, quibus præscriptæ sunt, spectare debeant.



T magna est legum diuersitas, tum ratione efficientis seu legislatoris dantis, tum ratione accipientis, sic in vnico hoc fine conueniunt omnes, modo à bonis & non tyrannis dictatæ sint, quod ad publicum bonum eorum, quibus præscriptæ sunt, spectent. Cum enim ad societatem hominum conseruandam, pietatem, iustitiam & virtutem, colendam & exercendam, ne cui præiudicium aut iniuria fiat, leges sint introductæ, ad Reip. vtilitatem & emolumentum maxime diriguntur. Si suum cuique tribuatur, non

erit causa litis, querimoniæ aut belli, sed omnes tanquam in aureo seculo pace fruentur ex æquo, cumq; illud sit iustitiæ, quæ legibus propugnatur, hinc constat per leges pacem, qua nihil præstantius aut vtilius est humano generi, foueri, Themin coli, Eryn excludi, & vberrimũ copiæ cornu ministrari: Vnde non sine causa fingunt Poetæ, Themin cœli & terræ filiam, Saturni sororem, Iouis amitam, magnam laudem & summos honores propter Iustitiæ singularem administrationem meruisse: Æquitatem enim seruandã præcepit inter mortales, quæ gratæ Diis essent virtutes & ad vinculum societatis humanæ conseruãdum maxime accommodatæ: Propterea ex æquo & recto viuendum, à violentia, iniuriis & rapto abstinendum, vnumquemq; sua sorte contentum esse debere inculcabat: Id tantum à Diis petendum (vt notat Festus) quod fas esset & honestum, petitionem alioquin iure reiiciendam. Præterea dicebat, Deum illum summum desuper in terras intueri quæcunque ab hominibus gererentur, siue bene siue male, & secun-

undum admissa facinora malos æternis pœnis & suppliciis punire; Bonis autem & piis præparasse mercedẽ & vitam nullis seculis interrumpendam. Alii fuisse Themin fatidicam mulierem apud Græcos opinantur, quæ futura hominibus prędixerit & rerum euentus incertos explicarit: quibus dotibus summã sibi conciliarit authoritatem, ita vt eam diuino afflatu plenam crederent & communicare cum spiritibus & Diis cœlestibus, à quibus ortum duceret. Propterea etiam post obitum ad cœlos remeasse credita est, & illic plurimũ potestatis in humanas creaturas adepta: Cum Iustitiæ præesse putaretur, regibus regni iura præscribere, cõfirmare & stabilire, cogere populos ad obedientiam & reuerentiam erga Principes, pręscribere leges magistratibus, ad quarum normã & præcepta Politias regerent & moderarentur: Tantiq; est ęstimata apud Ethnicos, vt sine eius Numine mortales omnes existimauerint mundum constare non posse, ideo illi templa & honores diuinos statuerunt: Primum illi delubrum erectum est in Bæo-
tia

tia ad Cephiſſum amnem ad quod poſt diluuium veniſſe Deucalionem & Pyrrham ſcribit Ouid. 1. Metam. vt Deam conſulerent, qua ratione genus humanum, quod illa inundatione perierat, reparare poſſent, his verbis:

Dic Themi, qua generis damnum reparabile noſtri
Arte ſit, & merſis fer opem mitiſsima rebus:
Mota Dea eſt, ſortemq́ dedit: Et quæ ſequũtur.

De eadem Themide hæc narratur allegoria: Cum prudentia eſſet ſingulari, forma quoque reliquas ſuæ ætatis Nymphas ſuperaret, à Ioue adamata eſt, cumq; ſępius eius nuptias recuſaſſet & eius conſuetudinem vitaret, tandem in Macedonia deprehenſa, coacta eſt illi nubere, grauidaque reddita peperit Ioui HORAS Εὐνομίαν, Δίκην & Εἰρήνην: Dicitur quoque ex eodem Ioue ſuſcepiſſe Medium Fidium, qui Sanctus vocatus eſt; quodque fidei præpoſitum illum crederent, ideo iuſiurandum factum per illius nomen, ſacroſanctum eſſe debebat & inuiolabile; Et hoc ſacramentum Patricii Romani vſurpabant, tanquam illi ordini congruum, quod omni viro ingenuo peierare nefas erat.

erat. Verum nos etſi ſciamus nullam vnquam in terris vixiſſe Themin, quæ poſt diluuium conſulta fuerit & oracula dederit, multo minus, quæ in cœlum aſcenderit, vt crediderunt Ethnici, tamen de Iuſtitiæ idea ſeu virtute illa generali, quæ ſuum cuique tribuit, hæc intelligi poſſe non dubitamus: Ex hac enim Eunomia ſeu bonæ leges (vt reliqua taceam) prognatæ ſunt, quamuis alii dicant has ex malis moribus exortas, quod per accidens intelligendum eſt. Eunomia tuetur regna, conſeruat politias, Reſpub. & Ciuitates, facitque res ex minimis maximas: Tales enim ſunt mores gentium, quales leges, ſi hæ bonæ vel malæ fuerint, ita & illos eſſe oportet: Eunomia eſt hominibus iuſte viuendi norma & amuſſis, ad quam dicta & facta ſingulorum quadrare debent. Polycletus quidam celebris ſtatuarius in ſua arte fecit librum de proportione ſingulorum membrorum humani corporis, reſpectu partium & totius, eumque Regulam vocauit, iuxta quam cæteri artifices ſua opera conficere & examinare poſſent: Tales Regulæ

ſunt in omnibus artibus & ſcientiis Axiomata, quæ à principiis ad finem earum tendunt: In rebuſpublicis vero ſola eſt Eunomia, quæ omnium mores & actiones gubernat, ne ad iniuſtitiam aut facinora declinent, & multa incommoda ipſis aliiſque apportent, quod plerumque fieri ſolet: Vt enim luxuria morbos, ſic iniuſtitia damna mortalibus attrahit, tanquam pœnas: Et econtra vt ſanitas omnium bonorum in terrenis optimum, quia ſecum alia quæcunque adferat, ita Iuſtitia, quæ per Eunomiam ſeu bonas leges procuratur, multa & inſignia hominibus præſtat commoda & emolumenta, quod cum per ſe pateat, propriaque illuſtretur luce, probatione non eget.



Cap.

CAP. II.

Leges eas, quas Fraternitati R. C. primus author, aliis incognitus, præscripsit, ordine narratas, non esse, nisi bonas & licitas.

Legum optimarum summam necessitatem & vtilitatē vt nemo sanæ mentis negare potest, ita non immerito eas laudare & præconio digno extollere debet, ne desit cunctantibus calcar aut morigeris & virtuti pręmium: Cumque eiusmodi sint istæ sex quasi legum positiones Venerabili Fraternitate R. C. suo ordine per primum authorem præscriptæ, operæ precium nobis futurum videtur, si eas exquisitius consideremus, & quatenus rei veritati, naturæ, æquitati & hominum vtilitati conueniant, collaudemus eoque honore dignemur.

Rationi enim consentaneum est, societatem illam, si bona sit, bonis legibus

teneri, si secus, econtra: Verum non esse illam aliter, quam optimam & licitam, præsupponimus, singulisque ex circumstantiis colligimus, quibus absque dubio hæ positiones consentient: quarum numerũ esse primæ perfectionis senarium nulla confusione aut rigore immodico confœderatos obruentem, agnoscimus. Vbi multæ & variæ leges conduntur, ibi multas enormitates contingere, probabile est: Qui enim rectam naturæ & rationis semitam negligit, illum per ambages varias incedere oportet, vt ad eandem metam perueniat: Ab hisce incommodis hæ leges sunt liberæ tum qualitate, tum numero: Singulas quoq; ad vtilitatem eiusdem societatis, nec non aliorum, spectare apparebit ex earum elucidatione: Voluntariæ sunt omnino & plebiscitorum vim habent, cum omnes in eas consenserint, vt possibiles, vt rationabiles: Hac vero traduntur serie:

1. *Quod nullus eorum aliud quid peregre iturus profiteretur*

qua

quam morborum curationem, idque gratis.

2. *Quod nullus cogi deberet, ratione Fraternitatis initæ, certo quodam vestis genere uti, sed se ad morem regionis accommodaret.*

3. *Quod quilibet ex fratribus teneatur quotannis ad diem C. in loco S. Spiritus comparere, aut absentiæ suæ causas literis declarare.*

4. *Quod singuli fratres eligere debeant personam habilem & idoneam sibi post mortẽ successuram.*

5. *Verbum illud R. C. sit ipsis vice symboli & characteris siue sigilli.*

6. *Quod hæc Fraternitas centum annos celari debeat.*

In hos articulos sibi inuicem sacro-

ſanctè aſtringuntur & confœderantur.

Ex quibus omnibus in genere colli-gimus, quod nulli in præiudicium ce-dant, nec iniuriam inferant, ſed directè ad finem ſuum, qui eſt Dei gloria & pro-ximi vtilitas, tendant: quod vt clarius elu-ceſcat, per cauſarum & circumſtantia-rum genera eas ducemus.

Vbi primo Author earum conſide-randus venit, an poteſtatem habuerit eiuſmodi Regulas ſibi aliiſque præſcri-bendi & obſeruandas proponendi, & quis ſit, aut cur nomine ignotus ma-neat.

Supremam legis ſanciendæ, quæ o-mnes ſubiectos populos teneat & aſtrin-gat, poteſtatem eſſe apud ſummum Prin-cipem, tanquam caput membrorum, in-dubitatum eſt, inprimis Imperatorem, poſt quoque apud Reges ſingulos, qui: mero fruantur regnandi iure, nec non quoſdam Principes, alioſque Primates & ciuitates liberas, quæ tamen leges ab in-ferioribus latæ non extenduntur niſi ad ſuos, nec ſunt perennes, nec derogant ci-uilibus legibus, ſed ſunt ſtatuta ad tem-

pu

pus & locum, vel etiam personā aut rem: Apud antiquos vero viri sapientia, doctrina, authoritate, iustitia, sinceritate & vsu rerum conspicui & insignes electi sunt, vt certæ genti aut ciuitati iura legesq; ponerent & introducerent.

Sic apud Hebræos Moses primus legislator & dux receptus fuit: Apud Ethnicos primi qui leges scriptas proposuere æquandæ libertatis causa, Zephyrii statuuntur.

Deinde Zaleucus Spartanorum & Cretensium placita imitatus (qui à Minoë vetustas leges recepisse credebantur) acerbiores leges promulgauit, pœnasque iure debitas, æqui & iniqui regulas scripto pręfiniuit, vt metu iudiciorum & pœnarum à criminibus abstinerent, cum ante non scripto iure sed iudicis arbitrio sententia in reos ederetur.

Postea Athenienses à Dracone & Solone scriptas leges in Prytano ab eo fixas & propositas, iuraque & iudicia acceperunt, à quibus Romani, qui à condita vrbe trecentos annos suis moribus vixerāt, leges 12. tabularum per Decemviros missos

acceperunt; Hæ vero auctæ successu temporis à Romanis magistratibus & Cæsaribus Ius Ciuile nobis dederunt, quo adhuc vtimur: Ne moremur aliarum gentium legislatores, vtpote Ægyptiorum sacerdotes, vel isidem, quæ à Mercurio, vt hic à Vulcano (aureæ enim fuerunt & in igne natæ) leges acceptas populo præscripsit, Babyloniorum Chaldæos, Persarum Magos, Indorum Brachmanas, Æthiopum Gymnosophistas, Bactrianorum Zoroastrem, Scytharum Zamolsidem, Corinthiorum Phidonem, Milesiorum Hippodamum, Carthaginensium Charondam, Gallorum Druidas.

Ex iam dictis facile apparet, quemcunque authoritatem habere sibi aliisque poscentibus sociis aut compromittentibus in fidem, leges aut statuta præscribendi, præsertim si omni æquitati & rationi suffragentur: Nam inter bonos bene agier oportet, vt inquit Comicus, at malorum fœdera vt sunt illicita & damnosa, sic & leges & conditiones inter eos contractæ; quorum fides seruata est deceptio; constantia, peruersio; sacramenta, Diræ; regulæ,

gulæ, enormes abuſus, leges, facinorum illecebræ.

Priuatus quidem harum fuit author, nec publicus Magiſtratus, at in ſuo directorio ſatis magnam authoritatem obtinuit, vt ſe aliosq; aſtringeret certis regulis, tum vt Paterfamilias ſeu caſtri Dominus, tum vt Ordinis Philoſophici & aureo-medici primus author & fundator: Si quis in alios nullo titulo aut iure ſubiectos ſibi, ipſis inſciis ac nolentibus, legem ponere ſtatueret, inanem abſque dubio conatum præ ſe ferret, cum præiudicio aliorum coniunctum & falcem ſuam in alienam meſſem mitteret, non abſque iniuria illorum, quorum intereſt: At tale quid hic factum, non præſumitur, cum omnes ſui iuris fuerint, qui conſenſerint, reſiſtente prorſus nemine. Ad hæc præſcriptio temporis, quod aliquot ætates hominum durauit, ſi cuiquam dat ius, cui ante non fuit, quid ni confirmaret illi, cui fuit? Nulla itaque cauſa eſt, quæ impediat dicti Authoris priuatam hanc legislationem, nec de iure Diuino, nec Ciuili, multo minus naturæ, gentium aut poſitiuo,

nec de consuetudine, nec lege scripta.

At quia Author nomine sit ignotus, nec innotescere velit, id alicui dubium mouere posset, quod diluendũ erit: Ignotus quidem dictus Author remanet, quia iam pridem in Christo defunctus sit, ita & iam viuentibus fratribus, at nihilominus hi eius nomen & familiam in memoria suisq; arcanis voluminibus obseruant, causam habentes grauissimam, cur ea in vulgus non propalent aut publicent. Deinde habent successionem ab eodem ad se vsque, & Lampada sibi in cursu traditam acceperunt à noto dictæ Fraternitatis consorte seu fœderis membro legitimo; Vident Authoris animum ex libris, faciem ex picturis, veritatem ex effectis, bonitatem ex factis, habentque manus oculatas, vt multa credant, quæ cernant, aliis incredibilia, impossibilia existimata. Quid iam dicemus de illis, qui à primo authore electi & confœderationi adiuncti fuerunt ab initio, an non hi eum nouerunt? Imo, illi familiarissime conuixerũt, obedientiamq; in his & aliis præstiterunt gratissimam: Ad reliquos vero extra consor-

ſortium illud exiſtentes cognitio eius nominis minime ſpectat, niſi forte ſint curioſiores, quam eſſe deberent: Nam vt ad nos noſtraſque aures non pertingit, quid intra muros Ilii fiat, quis in India certo, nobis nondum viſo, populo leges aut ſtatuta dictet, nec decet, vt de eo ſimus ſolliciti, ita & dicendum de hac Fraternitate eiuſque ſociis vulgo ignotis. Ignem non videntes in domo concluſa ex fumo exeunte ſpeculamur: Cur non legum harum authorem, eiuſq; ſucceſſores fratres, etiamſi oculis nō notemus, mente ex his legibus & has ſequentibus effectibus obſeruare liceat & ſufficiat? Arborem de fructu, etiam ablato, iudicamus, hominē ex verbis, vnde Socrates ad adoleſcentem bonis moribus quidem præditū, ſed tacentem, loquere, inquit, vt te videam, canem ex latratu, philomelam ex cantu, & ſic de cæteris omnibus: Quid ni igitur hunc Authorem ex ſuis poſitionibus, factis, dictis & ſcriptis diiudicaremus à deceptoribus, falſariis & fictitiis, quibus mala mens, malus animus eſt, aliorum damna & circumuētiones in lucrū cedunt,

tædia in voluptatem, pericula in gaudium.

Anonymus eſt, at fide digniſſimus, incognitus vulgo, at ſuis notiſſimus: Sui vero vulgum cur morarentur? Nulla eſt ratio, quæ id ſuadeat, cauſa non vna, quæ prohibeat, ſed variæ: Λάθε βιώσας, viue latenter, Philoſophi antiqui eſt dictum, in quo magnam ſuæ fœlicitatis partem poſitam putauit. Cur non idem recentioribus conueniat, rebus ita poſtulantibus, & longe magis, quam apud illum? Scimus enim in quo immundo mundo viuimus, non quoad creaturas Dei, quæ omnes bonæ fuerunt, ſed morum deprauationem: Polydorus illi ſe non credidiſſet, ſi præſciuiſſet ſuum euentum, aut alienum affectum: Huius exemplo alii cautiores facti, non minus Polydori, oderunt prophanum vulgus, & arcent, hoc eſt, ſe ab illius oculis abſcondunt, cum, vt dici ſolet, occaſio faciat furem, & qui theſaurum in vertice portat, cupit eo ſpoliari: Homines ab humo nomen & naturam duxerunt; Illa nunc aret & hiat, nunc humet & fluit, pro ſolis, venti aut imbrium copia vel

vel defectu; Ita humana mens non semper easdem patitur adfectiones: Nunc hiat & appetit, quæ non sunt sua, mox vitio virtutem & raptu iustitiam permutat, quod non intelligendum de omni, (quod absit) sed qui minus hominis præ se ferunt, hoc est, mentē incultam produnt.

Cauit itaq; harum legum author non iniuria sibi, cauit successoribus & toti Fraternitati in eo, quod nomen suum obscurari potius, quam illustrari voluerit: Non enim sapiens est, qui sibi non sapit, quod Aristippo, Anaxarcho, aliisq; probro objectum. Quilibet famam ex magnificis factis, nonnulli quoq; ex sceleribus, vt Herostratus Dianę Ephesię incensa æde, aucupari desiderant: Sed hic author, eiusq; successores silentio se inuoluunt & populares rumusculos, qui plus fellis quā mellis non raro habent, omnino declinant & auersantur: non quod sint Misanthropi seu Misandri, sed vt videant multorum vitia, non experiantur: Democritus se oculis orbauit, vt aiunt, ne cerneret plena omnia vacuo, hoc est; capita cerebro, aut vacua pleno: seu referta inanitatibus, va-

nita

nitatibus, dolis, vitiis, & libidinibus: Rectius hic Author, eiusque sequaces, ab aliorum oculis, qui Marsos & Psyllos imitantur, sese absconderunt & subduxerũt: Non enim fidendum est pupillæ duplici, nec manibus Mercurii aut Martis (quorum ille furum, hic prędatorum patronus est) imo nec Longimano Ioui, nec artibus polito Apollini, siquidem is fulmina, hic sagittas iaciat, aut discum, quo Hiacynthus periit & in florem sui nominis migrauit.

CAP. III.

Quis effectus in genere sit harum legum, & quæ circumstantiæ, loci, mediorum, finis & temporis.

DE causa efficiente seu promulgatore, dictarum legum seu regularum, satis superq; disseruimus, nunc de effectu earundem aliisque circumstantiis dicendum erit: Effectus in genere suæ causæ

corre-

correſpondet: Nam ſi legum author ſit vir integerrimus & optimus, & illæ erunt non malæ; ſi bonæ, nec harum effectus, tanquam ſoboles à patre & auo, degenerabunt.

Sunt autem tales, quod fini ſuo correſponderint, & venerabilem Fraternitatem in ordine continuerint inſeparabili: Quod ſi non cum ratione omni, natura & rei veritate conuenirent, iampridem concidiſſent, vnaq; cum ſocietate illa in obliuionem, aut nunquam in notitiam mundi perueniſſent. Multa ſtatuuntur ad bonum finem, quem non aſſequuntur, & plurimi ad portus nauigant, quos contingere nequeunt vi ventorum abrepti & fluctibus abducti: Non ſemper gubernator nauis eſt in cauſa, quod obliquanda via & vela ſint; vincit non raro hyems & procella: Ita qui aliquod opus aut negocium incipit, ſæpe ab interuenietibus impeditur aut retardatur, quod tamen hic minime contigit, idque Dei benedictioni aſſcribendum erit:

Non habet euentus non mala cauſa malos,

Vixe-

Vixerunt dicti Fratres sub harum legum
iugo gratissimo huc vsque fœlices, & abs-
que dubio, annuente Deo, viuēt per plu-
ra secula, cum tanquam summi Regis va-
salli (mediis debitis nō exclusis) illi arent,
serant & metant, illi annuos reddant re-
ditus in eo, quod pietatem ante omnia
colant, ex natura, vt & sacris literis, eius o-
mnipotentiam, prouidentiā & clemen-
tiam obseruent, priuatim & publice cele-
brent, & pauperibus, quo possunt, modo
subueniant: Hæ sunt virtutes, quæ Chri-
stianos vere decent, in quibus à Turcis vel
Ethnicis Idololatris eos superari sit nefas
& Christiano nomine indignum.

De Loco huiusce congregationis aut
legum promulgationis ne quoq; quis sit
nimis curiosus in indagando, videndum
erit: Non enim hoc vtile est sciri ab omni-
bus, sed sufficit si à solis confœderatis &
electis agnoscatur: In Vtopia non est, vt
opinor, nec apud Tartaros aut Lappo-
nes, sed forte in vmbilico Germanię, cum
Europa forma virginem, & Germania in
ea ventrem referre dicatur: Non conue-
nit virgineos sinus patefacere vulgo, ne
mere-

meretrix potius, quam virgo, videatur: Satis est scire, eam non esse infœcundam, sed in vtero suo (vt Themis ex Ioue) hanc Eunomiam concepisse, aut hos Palycos fratres, tanquam ignotos & ex terra natos, (vt Thalia ex eodem) protulisse: Venter hic quidem virgineus est, at permultas artes & scientias, ante incognitas, edidit, GERMANIAM dico & intelligo, quæ germinat nunc perpetuo ROSIS & LILIIS, quæ nec hyemem nec æstum ignis reformident, & in Philosophicis hortis seu Rosetis conseruantur, ne petulca manus tenellos flosculos lædat aut carpat.

Huc iam migrarunt Hesperides Nymphæ, Ægle, Heretusa & Hesperetusa cum suis arbusculis aurigenis, ne bis patiantur Herculem, in nemoribus abditæ: Hic sunt punicei Geryonis multicorporis boues in pascuis optime circumsepti & premuniti, ne Cacus ex Auentino, id est, malus abactor eos transuersos rapiat & intercipiat: Quis neget hic esse Colchica vellera, à Mercurio inaurata, hortum Martis & Æëtæ Regiã, qui Solis fingitur filius Augiæ & Phaetontis frater: Hic

Solis equi, de quibus Ouid. lib. 2. Metam.

Interea volucres Pyrois, Eous & Aethon
Solis equi, quartusque Phlegon, hinnitibus auras
Flammiferis implent, pedibusque repagula pulsant.

Hic eiusdem Solis oues & boues nunc pascuntur, hoc est, pecudes, vnde PECVNIA dicta est, Regina mundi.

De mediis, quibus ab Authore primo hæc peracta sunt, non opus est multa hic adducere, cum Fratres in Fama & Confessione, aliisq; scriptis ea satis indicauerint, quod nimirum ex Arabia primitus illa, qualiacunq; sint, in Germaniam eius patriam illata occasionem Authori præbuerint sibi alios socios monachos coniungendi primo 3. deinde adhuc 6. à quibus primis prima pars libri M. facta seu delineata & descripta traditur, cuius in Fama sæpius fit mentio, quod nimirum ab Authore primo ex Arabico sermone in Latinum, (in Arabia etiamnum agente) translatus sit & ab eodem portatus domum, ac deinde quod multa arcana ex libro M. didicerint, totiusq; mundi imaginē seu Ideam ante oculos habeāt: Quem librū M. absq; dubio Mundo cogētilitio, nem-

nempe paruum maiori, breui dedicabũt & admirandum doctrinę auidis offerent: Nec n. ſpero Natalẽ eiuſdem diutius abfuturũ, ſed iam iam exoriturum, vt ex vnguiculis tantus Leo appareat: Vt n. fluxus & refluxus maris (teſte Baſilio Valentino in 2. claue) multa bona & diuitias regnis diuerſis adferunt, ſic quoque ſemeſtres iſtæ nundinationes huic mundo ſeu luci publicæ, mundi magni cœleſtes harmonias & concentus (quos Pythagoras ipſe obſtupeſcens admiretur) ac deinde, quæ ſequuntur forte ſuppeditabunt.

Nec vero duos in hoc theatro Menæchmos adeo ſibi ſimiles iuueniri arbitror: quam hunc, illi M. imo hic F. eſt ille M. nec alius liber M. niſi me fallit opinio, expectandus eſt.

Cauſæ impulſiuæ dictarum legum ſeu finales, communis eſt vtilitas, quæ partim ad ipſos fratres, partim ad alios vel doctrina animi, vel corporis viribus egentes, redundat: Dum enim ſibi & bonis omnibus bene cupiunt, hac ratione vitã inſtituere ipſos decuit: Et ſi quis dicat eos parum ſibi cauiſſe, ex his refutari poterit, ſi parum

aliis prospexisse, ex iisdem: In æquilibrio videtur hæc bilanx pendere, & vnitas prima æquiualet quinario seu binario & trinario iunctis: Sibi quisque est proximus, & riuuli, iuxta sapientis dictum, ita sunt emittendi foras, ne fons domi sitiat vel funditus exhauriatur, donec arescat: Qui dat vni ita, vt multis, semel vt sæpe dare possit, nulli facit iniuriam nec sibi, nec alteri.

Quando vero initium sumpserit hic ordo, aut hæ leges primitus latæ sint, ex Fama innotescit, forte circa annū Christi 1413. Si anno C. 1378. sit natus, & 16. ætatis peregre exiuerit, 6. annos emanserit, ac redux per 8. & 5. annos expectarit, antequam tantam rem in effectum duxerit præscriptis suæ societati dictis regulis: Verum in hisce potius coniecturis, quam demonstrationibus certis vti cogimur, cum historia integra & prosopographia debita destituamur.



Cap.

CAP. IV.

Quæ prima lex, & quanta Medicinæ sit dignitas præ reliquis artibus, cui Fratres primas dederunt.

AD primam nunc legem accedemus, quæ eſt, vt Vnica hæc ſit fratrum omnium profeſſio, MEDICARI ægris, idq; gratis: Multa & varia ſunt officiorum, artium & functionum genera, quæ humana aut neceſſitas, aut curioſitas vel luxuria inuenit: Horum alia ſunt nobiliora aliis ſui reſpectu vel opinione hominum: Imperare aliis diuini quid habet & eſt regium; Deinde bella gerere fœliciter cum hoſte atrociſſimo, eumq; ſuperare: Sunt Mercatores, Opifices & agricolæ in Republica, quorum omnium pietas Theologos, lis Iuridicos, ægritudo medicos requirit; ne quid de aliis Philoſophiæ & artium ſpéciebus dicam: Omnibus iis Medicina exiſtit tam grata, quam neceſſaria:

Medicus in valetudine afflicta imperat ipſi Imperatori, cui facienda & omittenda dictat, quod de legiſperito intelligi nequit, cum præſente ſummo Principe taceant leges ſcriptæ, refigendæ, ſi opus ſit, ab eo, qui fixit, & abrogandæ, qui rogauit. Idem Medicus, tanquã miles ſeu centurio, cõtra morbos humani corporis acerrimos quotidie pugnat, pro ſanitate, qua nihil præclarius homini contingere poteſt: Hinc Ariſtoteles inter ea quę nulla probatione vlteriori egent & à cõmuni hominum notitia deducuntur, recenſet ſanitatẽ, dum inquit, Optimum eſt, bene valere & huic proximũ diuitias poſſidere.

Medicus itaque Optimum inter bona corporis ac fortunæ tractat & curat, morbos pellendo, valetudinem amiſſam reſtaurando, bonam conſeruando: Dei eſt, hominem creaſſe, Naturæ, Dei miniſtræ, eundem generaſſe ex bino ſemine vtriuſque ſexus, & ſanum enutriuiſſe, Medici illum ægrũ ſanitati priſtinæ reſtituiſſe: Vnde aliquid diuini nõ ſolum eſt in morbis, vt Hippocrates teſtatur, ſed quoq; in tota Medicina & officio Medici, ſiquidem

hoc

hoc participet cum creatione & generatione hominis, dextre intelligendo, h. e. quia nobilissimū tractet subiectum, HOMINEM, ad Dei imaginem formatum, qui Naturę & Dei fuit subiectū, huius in creatione, illius in propagatione: Quod cum ita sit, medicari voluit corpori, qui animæ est verus Medicus, HOMO DEVS, cū in terris versaretur: Medicationi Prophetę apud Israelitas operam dederūt, apud Ægyptios Sacerdotes, ex quibus reges eorū eligebantur: Eidem magni Principes dediti fuerunt, nō vt mercede conducti sed quasi misericordiam & opem afflictis, donum & eleemosynam pauperibus, omnibus ex æquo sanitatem conferrent: Nouimus quosdam in bello non iniusto cruentatas sanguine humano manus expiasse, vt aiebant, Medicamentis salutaribus ægris per easdem porrectis.

Tam sancta ergo, tamque preciosa & prælustris cum sit MEDICINÆ professio, hinc Fratres R. C. non immerito huic palmam & principatum obtulerunt inter tot artes & scientias, quibus abundant & clarent. Credo equidem eos

naturales effectus nirificos edere posse & callere arcana Naturæ profundissima, quæ videntem & causas non intelligentem, tanquam saxificum Medusæ Gorgoneæ caput, ad stuporem redigerent, sed præ omnibus illis Hygieia placuit, Apollo arrisit & Æsculapius cordi fuit.

At hic mox obstrepent nobis illi, qui omnium cupiunt esse primi & non sunt, dicentque, Fratres non esse medicos, at forte Empyricos, qui Medicinam exercere satagant: Verum hi manticam in tergo non vident suam, alienam semper habentes in conspectu: Fateor, plerosq; fratrum non militasse in eorum castris, ideoq; pro commilitonibus haud agnosci: Sed nec id quidem desiderant, cum sub Phœbo, Musis & Charitibus omnibus non solum tyrocinia, sed quoq; summa officia meruerint & exercuerint: Medicina, quam faciunt, est illis propria Medulla magni corporis, remotis ossibus, nucleus dulcissime nucis reiectis corticibus.

Et vt verum fatear, Fratrum Medicina est igniculus Promethei, auxilio Mineruæ, à Sole mutuo acceptus & ad homines

dela-

delatus in ferula, vt Poetæ allegorizant, post quem etsi morbi & febres à Diis terris immissæ sint, tamen bonum præualuit damno: Ignis est propagatus per totum orbem, eoque Medicinæ præparatæ, quæ tam animo, quam corpori opem præstant; huic, quoad morbos: illi, quoad adfectus grauiores: Nil enim magis lætificat cor hominis, quam hæc Panacea: Nil oculos magis delectat, quam hic Chrysolitus, Saphyrus aut Smaragdus: Hic est preciosus ille cordialis puluis, in quem præter alia, ingrediuntur lapilli nobiles subtilissimi & AVRVM Foliatum; vocaturque vulgo Edel Hertz Puluer: Æschilus Prometheo Iapet. filio Pyromantiam tribuit, Medicinamq; & Pharmacorum mixtionem, auri, ferri, metallorumque omnium inuentionem: Vnde cum Pallade & Vulcano Aram communem Athenis Prometheus habuit, cum per ignis scientiam multa arcana Naturæ indagata sint: Ignis enim quadruplex ad Medicinam eam perficiendam necessarius est, quorum si vnus ignoretur, tota compositio ignea nullius momenti habetur.

CAP. V.

Quod medicatio cum remediis ſpecificis ſeu occultæ proprietatis, quibus dicti Fratres vtuntur, facta, ſit naturæ humanæ acceptiſsima & morbo magis contraria, quam alia.

QVæ iam dicta ſunt, non debent ita intelligi, quaſi huius Societatis Medicamenta nou eſſent naturalia, tam ex vegetabilibus, quam aliis naturis deprompta. ſed quod vnum altero ſit precioſius & efficacius, idq; ex occulta & magis admirabili, quã perſcrutabili virtute: Idem enim vſu venit in aliis, ex ſolis vegetabilium ſpeciebus, concinnatis Pharmacis; multo magis itaque in diuerſis: Sunt illis Panchreſta, Polychreſta, Manus Chriſti & alia magnis titulis inſignita & Narcotica & Alexipharmaca, de quibus Galenus aliiq; miras laudes prædicant, in quot & quantis morbis conueniant & præſentaneum

neum loquamen præſtent, adduntque non raro hanc cautionem, ne quis illa propinet alicui, antequam bonam mercedem ſeu præmium acceperit, quaſi tum maiores vires haberet, cum maiore precio ſit emptum, Græca fide, hoc eſt præſentibus nummis.

Eodem modo huic laudabili Societati abſque dubio variæ claſſis & gradus ſunt Medicamenta, ex quibus vnum Regis, alterum Principis, & ſic deinceps, nomen meretur, ob vires maiores vel minores: Sunt & ſatrapæ ſatelliteſque illis Medicinæ non contemnendæ; Verum, quod obſeruatu digniſſimum eſt, nulli ex illis aſſcribunt, antequam hoc des, ſis certus de mercede: Non calceandi ſunt bimus & quadragenarius vno calopodio; Huic vncia, illi drachma correſpondet de eodem Pharmaco: Calloſa ruſtici vel operarii manus efficacius Emplaſtrum poſtulat, quam literati aut Nobilis.

Sunt in perſonis differentiæ, ad quas Medicum reſpectum habere oportet in vno eodemq; morbo, vix Iureconſultum in vna eademq; cauſa, ſi Areopagiticum

iudi-

iudicem agere velit: Vtuntur itaque fratres pro diuersitate personarum diuersis medicinis: Quantum vero ab experientia innotuit, habent selectissima vegetabilia, tempore conuenienti collecta, quæ characterismum suæ proprietatis efficacissime ostendunt impressum, vsu probatissima, nec sola ociosa speculatione inuenta: His vtuntur in morbis, quibus maxime appropriantur: Vbi enim qualitas illa specifica cuiusdam simplicis operari debet, non oportet eam confundere vel obtundere cũ innumeris aliis, in hoc vel illo gradu (vt æstimatur) calidis, frigidis, humidis vel siccis, ex primis qualitatibus ad alterandum, ex secundis ad incrassandum vel attenuandum, & sic de reliquis: sed necessum est vt pro suo valore quodque pugnet, suamque vim contra hostem exerat, quod si vero vnum ab alio conturbetur, morbus, velut hostis, grassatur latius, & potius in sede sua stabilitur, quam inde expellatur.

Quærere autem quis posset, quid dicatur specifica qualitas? Respondeo, idem quod Medici vocant occultã proprie-

prietatem, quia rationabiliter deduci nequeat ex calidis, frigidis, humidis & ſiccis, qualitatibus primis.

Quid autem Galenicis hæc occulta proprietas proprie ſit, ex recentiori quodam, Valeſco de Taranta adducam, qui Philonij ſui libro 7. cap. 12. de Quartana paragrapho, Declaratio in quartana, ſic ſcribit: Secundo quæritur, quomodo locuſta ſuſpenſa ad collum curat quartanam? Dicitur, quod ſi iſta Empirica aliquid operentur, illud faciant à tota proprietate, quæ eſt virtus abſcondita, continens formam ſpecificã illius rei mediante certa alicuius, vel aliquorum corporum ſupercœleſtium influentia: Sed tunc dubitatur, quæ ſit illa tota proprietas? Iuxta hoc multa dicta dixerunt Authores: Nam Auerrhois in 5. coll. videtur dicere, quod ſit complexio: Alii dicunt, quod ſit forma ſubſtantialis illius compoſiti: Alii dicunt, quod ſit totum mixtum, ſcilicet forma & ſubſtantia & complexio, quod Auicenna vocauit totam ſubſtantiam in doctrina 2. Fen. 1. Canon. cap. 15. cum dicit, quod res, quæ non eſt

ope-

operans à materia, nec qualitate, illa est operans à tota substantia. Nota hic quod intentio Auerrh. vbi supra fuit, quod complexio propria sub ratione, qua declinat ad qualitatem obiecti sub debita proportione, illud dicitur tota proprietas.

Vt verius & clarius loquamur, dicamus, quod tota substantia vel proprietas, per quam mixtum operatur aliquem effectum, cuius productionis causa, naturaliter loquẽdo, est ignota, est quædam virtus vel naturalis positio, continẽs immediate formam substantialem rei acquisitã cum influentia corporũ supra-cœlestium ad hoc specialem influẽtiam habentium introductione formæ: Et videtur esse de mente Auicennæ in 2. Fen. 1. doctr. summa prima cap. 15. Et in libello de viribus cord. tract. 1. cap. vlt. Vnde Arnoldus in tractat. de causis sterilitatis ait sic: Dicitur autem proprietas propria natura, ad quam acquirẽdam propria & substantialis forma mixtionis disponitur, sicut accidit cuilibet mixto & hæc natura occulta dicitur, tum ignorata vt plurimum

tum

tum quia via rationis nunquã cognoſcitur, ſicut cognoſcitur dominium cõplexionis qualitatis complexionalis: Et proinde complexio dicitur natura, non quia proprie nominari poteſt, & via etiã rationis cognoſcitur, tota aũt proprietas nunquã, niſi per viam experimenti cognoſcitur: Et in hoc cognoſcit intellectus, quod in aliquibus operationib. Medicinæ præfuit experimentum, quã ratio, quia multa ſtant in experimento, quæ nunquam fuerunt nec de præſenti ſtant in ratione. Secundo cognoſcit Intellectus, quod non omne experimentum poteſt vallari ratione, nec confirmari: Iſta autem proprietas poteſt ſic deſcribi: Proprietas eſt quædam virtus vel naturalis poſitio cõtinens immediate & inſeparabiliter formã ſubſtantialem rei adductam ſuper ipſam ſub determinata proportione adiuuante cœleſti influentia.

Ex ſupra dictis patet, quod tota proprietas non eſt complexio; patet, quia ſi ſic, illa quæ haberent eandem proprietatem; haberent eandem vel ſimilem complexionem: Conſequens eſt falſum, quia

rha-

rhabarbarũ & tamarindi à tota proprietate attrahunt choleram, & tamen non sunt eiusdem complexionis. Huc vsque Valescus.

Ex quibus constat experimento potius cognosci rerum medicinalium proprietates, quam regula à ratione præscripta, qua nec vnius simplicis vel minimi natura vera indagari potest, vt patet in vna Rosa, quæ odorata est & rubea, non respectu qualitatis frigidæ & siccæ, sed virtutis alterius proprie rosæ inditæ: Vnde colores & odoratæ qualitates ex primis deduci nequeunt, quæ sunt sensiles primo contactu, imo nec gustabiles, nec palpabiles, vel audibiles, & per consequens nullæ, cum specificæ, vt dictum, longe aliunde proueniant.

Quomodo igitur primæ qualitates sunt obseruatæ? Non per se, sed per sensum aliquem indicem, à quo ratio hoc deduxit, quod non est: Vbi dicendum, quod ratio in iudicio de Rosæ qualitatibus primis nihil iudicare vel discernere possit, an sit calida, an frigida, an humida, an sicca, nisi ex sensili qualitate, ita quod

vel

vel iudicet ex colore, vel odore, vel gustu, vel tactu: Sed hæ regulæ sunt incertæ, & plures habent exceptiones, quam exempla directa: Quis enim vere dicere possit? Frigida non sunt odorata; omnia calida sunt odorata, vel vice versa, omnia odorata esse calida, & omnia non odorata esse frigida, aut alba esse frigida vel calida, rubra calidiora albis, vel econtra: amara esse calida, aut narcotica frigida; & sic de aliis: Opium enim, Spiritus vini, Rosa, & his similia, omnia ea refutant; ita vt tanta incertitudo inducatur qualitatibus cuiusque simplicis, quo melius sit soli experientiæ insistere & proprietates rerum scrutari, nec ex incertis primis qualitatibus secundas, ex his tertias colligere; aut sensu rationem vincere velle, ratione experientiam, quod inane est & caret efficacia, nisi quo ad contrarium, in morbis curandis, hoc est, in natura confusis qualitatibus & mixtionibus perturbanda & magis infirmanda.

Hoc cum Ægyptiis antiquis innotuerit, solam amplexi sunt Medicinam, quæ ab experimento suæ veritatis & probatio-

nis testimonium secum portaret, nō eam, quam Phantasia vel ratiocinatiua (quæ destituta sensitiuis mediis nunquam non fallitur) excogitasset vel talem, qualis nō est, præsupposuisset: Ideoque ægros suos in triuiis vel ante ædes, vbi populus frequens transiret, collocarunt, vt à prætereuntibus, qui simili morbo forte laborassent, remedium specificum, quo ipsi curati essent, acciperent: Vnde adhuc videmus non raro contingere, vt vetula aliqua vel Empyricus specifico Remedio instructus in certis morbis plus præstet, quam medicorum longæ cateruæ.

Vbi & hoc inconueniens intercurrit, vt quamplurimi ægri, magis medicorum sibi inuicem aduersantium odiis & rixis offendantur, quam Pharmacis mixtis iuuentur: Ratio enim vel potius phantasia diuersos in diuersa rapit, ne vnquam videantur consentire inter se, aut alii aliis cedere in ægri salutem aut morbi propulsationem.

Ex quibus hoc non deduci debet, quasi statuam, nulla ratione vtēdum esse in adhibendis medicamētis, at sola nitendum

dum experientia, ſed hoc ſaltem, Medicinam ſiue artem medicandi rationalem ſeu dogmaticam, eſſe omnibus ſuis partibus cõcinnam, ſi hæ debite intelligantur, ſed ſoli rationi nõ fidendum in inueniendis & præſcribendis Medicamentis ſecundum primas qualitates: imo quæ experientia longa probauit, etiãſi ratio cauſas extundere nequeat propter ignorantiam rerum abſtruſarum & latentium aut mentis & diſcurſus imbecillitatẽ, pro remediis ſola vſurpanda eſſe, ac cum ratione & methodo adhibenda, quod nullus ex dogmaticis, niſi peruerſi ſit ingenii, ac nullius iudicii, negare poterit, cum ab omnibus practicis inculcetur.

Nec vero ſcio, an ille ſit bonus dogmaticus & rationalis medicus habendus, qui habeat longas illas tabulas omnium ſimplicium fere in procinctu, qualitatis calidæ primi gradus, ſecundi, tertii & quarti, ita quoque frigiditatis, humiditatis & ſiccitatis, & ſic de ſecundis & tertiis qualitatibus dicendum, atq; ſi ad ægrum veniat, hinc tanquam ex equo Troiano omnem ſuam militiam ſeu armaturam de-

promat, cum interim ignoret veras & proprias qualitates eorundem simplicium, quibus morbos oppugnet, an vero alter, qui eadem noscat, sed non vsurpet, nisi cum experimenti ratio ea approbet, seligat ex omni numero pauca, probata, infallibilia, misceat cũ iudicio, non vt videantur multa, sed apta, & effectus sequens Rationem præuiam non eludat, qui occultas proprietates seu specificas virtutes cuiusq; simplicis habeat cognitas, & in quoque morbo delectum eiusmodi Triariorum Remediorum instituat, quibus magis fidendum, quam tumultuariæ congeriei innumerorum? Habemus enim nunc Oceanum medicamentorum, vt magis cogitandum sit medico de delectu, quam congestu: Nam copia sola remediorum non vincit morbum, vt nec militum hostem, sed qualitas efficax, ordo & modus iis vtendi, rei & naturæ conueniens, dexteritas & fœlicitas medici in tempore & loco singula adhibentis, etiamsi sint numero pauciora.

Ex historiis Leonidæ, Spartanorum regis animositas & peritia inclaruit, qui man

manu quadringentorum fortissimorum Lacedæmoniorum angustas fauces, Termopylas dictas, per quas Xerxes Persarum Imperator cum exercitu centum & septuaginta myriadum, hoc est, 1700000 hominum transiturus erat, occupauit & præclusit, adeo vt magnam stragem barbarorum fecerit: Laconum vnus forte mille Persis restitit, & vel decem interfecit: Tanta fuit virtus in triariis, quorum vni cum Persa quidam diceret gloriabundus: Hodie solem præ nostrarum sagittarum multitudine nō videbitis, respondit ille, ergo in vmbra pugnabimus: Herodotus lib. 7. de Leonida, veluti altero Leone, leonum duce scribit, quod exhortatus suos ad manum conferendam cum barbaris, dixerit, estote forti animo, hodie fortassis apud Inferos cœnabimus, qui in ea pugna cum Mardonio Persici exercitus duce commissa cecidit. Victus deinde Xerxes à Themistocle, Neoclis filio, Atheniensium duce, qui vix quatuor hominum millia secum ducebat, ad Salaminem, Eubææ insulam, nauali prælio, scapha euasit.

Vnde & his ſimilibus exemplis apparet in bello copiã confuſam & imbellem cedere paucitati ſelectorum militum: Quidni quoque in Medicinali militia, in qua contra hoſtem tergeminũ morbum, caufam & ſymptoma, pugnãdum eſt, potius veteranis, quam tyronibus, cordatis quam timidis, cataphractis, quã leuis armaturæ, fidẽdum ſit? Iuſtæ magnitudinis exercitum quidam centum millia excedere non debere aſſerunt, propter multa incommoda, quæ maioribus exercitibus contingere poſſunt, inter quæ confuſio immẽſæ multitudinis præcipua eſt: Conſtare n. oportet magnos exercitus ex pluribus nationib. gentibus, linguis, religionibus, ducibus, quę omnia confuſioni anſam præbent, & hæc interitui vel damno. Ita & iudicãdum de medicis auxiliis, quæ ſi numero excedant, potius inter ſe bella ciuilia & inteſtina, quam aduerſus hoſtiles morbos, ſuſcipiunt & gerunt: Fit n. in iis tã variis confuſio proprietatũ ſpecificarũ & vnius impeditio ab alia, cum tamẽ ea ſola ſit virtus, quæ naturæ amica, morbo inimica reſiſtat, & de hoc illi victoriam polliceatur.

CAP.

CAP. VI.

Quod, licet alii medici ſua mercede digniſsimi ſint, tamen Fratres ſingulis medeantur gratis, non æſtimantes valorem auri.

IN diuerſis hiſtoriarum monumentis legimus de medicis celebrioribus à magnatibus, Regibus aut Principibus nõ ſolum in magno precio habitis, ſed quoque pro curatione certi alicuius morbi aut pro ſalario annuo, ingenti pecuniæ ſumma donatis, vel ad ſummos honores euectis: Eraſiſtratus medicus primus cognouit morbum Antiochi ob amorem Stratonices nouercæ, quo ſanato rege, centum talentis à filio eius Ptolomæo donatus eſt, cuius meminit Gellius lib. *16*. Democides Polycratem Samiorum tyrannum curauit talentis duobus: Idem à Dario (quem ſanitati reſtituerat) duobus aureorum compedum partibus & ab vxoribus ipſius Darii aureis

phialis ornatus est, authore Herodoto in Thalia; Vt Iacobum Cocterium Gallum Ludouici II. medicum, qui supra quinqnaginta millia aureorum pro annuo stipendio habnit, & Thadeum Florentinum, qui 50. aureorum mercede in singulos dies peregrinatus est ad curandos ægros, & alios forte magis ob auaritiam reprehendendos, quam largitores eorum extollendos, prætercam.

Quibus artis præmiis discipuli permulti inescati ad eam discendam se contulerunt, suoque ingenio & labore excoluerunt, magis ducti honorifica mercede & lucro, quam aliis causis: Et si rem, vt est, consideremus, vitam hanc mutuis officiis distinctam Medicorum ope carere non posse, vt nec victu & amictu quemuis ex mortalibus, animaduertemus: Vnde medicos esse & lucrari aliquid ob impensam ægris operam, omnino necessarium est: Nemo enim gratis alteri seruire in re medica, vt nec apud Iurisperitos, tenetur: Exceptis pauperibus, Notarius non cogitur, sicut & nemo alias, propriis stipendiis militare, (*c. cum ex offic. de præsc. l. sed si quis*

quis ex ſignatoribus. 7. ff. quemadmodum teſtam. aper. l. ſi ſeruus. 61. §. quod vero. 5. ff. de furib. l. 2. §. quæritur. 3. ff. de cura. bon. dand.) Nam aridum & rigoroſum nimis eſſet, ſi quis cogeretur de ſuo beneficium facere, (argu. *c. charitatem. 12. q. 2.*) Menecrates Syracuſanus medicus gratis quidem medicinam fecit ægrotis, at ab illis pro Ioue liberatore haberi & vocitari voluit ſtulto potius, quam laudabili conatu; Dum enim auaritiæ Scyllam fugit, incidit in ſuperbiæ Charybdin.

Verum tale quid hi fratres neutiquam affectant, cum ne quidem agnoſci deſiderent, tantum abeſt, quod gloriolæ inſignia appetant; Curant gratis omnes abſque diſcrimine, viſitant ægros, ſolantur afflictos, ſubleuant pauperes: Ipſis enim labor præmium & impenſa lucrum eſt, cum eorum aceruus nō diminuatur mure, formica aut gurgulione, & fonticulus non exiccetur à Draconibus, feris aut pecudibus: Cælius tradit lib. *16*. cap. 10. Philonem medicum, cum medicamēta quædam ad medendi vſum exquiſitiſſima cōcinnaſſet, & Regias nōnullas Alexiphar-

macas poteſtates confeciſſet, vocaſſe eas
DEORVM MANVS, velut diuinas & ſalu-
tares: ſed illæ titulũ, ceu hederam ſuſpen-
ſam, oſtentarunt, vt legentiũ oculos illi-
cerent, audientium aures excitarent, quo
aurũ curioſorum vel ægrotorũ venaren-
tur facilius, cum forte vix humana auxilia
præſtare poſſent, in fronte pulchellæ, in-
tus fæcibus repletæ vel in receſſu cloacæ.
Fratrum vero Medicinæ etſi ſint omniũ
efficaciſſimæ, Silenos Alcibiadis imitan-
tur, h. e. in non tanto, quo deberent, pre-
cio ab aliis habẽtur, cum forte puluiſculi
imbelli cinabaris vel abiectioris ordinis
iudicẽtur, ſed plus reipſa præſtant, quam
promittunt. Poſſident Phalaiam & Aſam
Baſilii, & Nepenthes luctifugum Homeri
& Hermetis Triſmegiſti, Apyron (vn-
guentum ex auro) Plin. lib. 21. Demopho-
ontem Theſei Alexicaci filium more ex-
primunt, qui in vmbra calebat, in æſtu ri-
gebat, nec non Iouis Hammonii fontem,
qui noctu feruebat, meridie frigebat, in
ortu & occaſu tepebat, dum lucrum re-
ſpuunt, quo cæteri alliciũtur medici, ho-
norem negligunt, quo multi efferuntur,
famam

famam & notitiam ſui nominis, (qua ille quoq; laborat inſcius, Tullio teſte, qui de contemnenda gloria libros ſcribit, ſiquidem & nomẽ ſuum in veſtibulo eorũ ponat) auerſantur, ſeq; Sigalioni vel Harpocrati, h. e. tuto ſilentio, conſecrant: An nõ hoc eſt nouũ & inauditum genus hominum, q̃ neminem lædat, proſit omnibus, vnicuiq; ſuũ reddens: Hi non ſunt ex illis, qui ſolẽ orientem adorant, h. e. qui odore lucri capiantur, vt ſtent ac loquantur taceantve ad nutum aliorum potentium vel diuitũ: De Dianę ſimulachro tradunt ita arte dolove gubernato, vt munera adferentibus aduenis lætã exhibeat faciem, ſine iis auſteram, triſtem & minacem: Ita eſt mundus, vel ſic regitur ab hominibus, iuxta Pentametrum:

Si nihil attuleris, ibis Homere foras: Et,
Aurea nunc ætas, auro venalia cum ſint
Omnia:

Auro humana cuncta gubernantur, cõſeruantur, poſſidentur, confirmãtur, corrumpuntur & delentur: Huius humi vel mundi parũ aut nihil apud illos eſt, quib. ſumma aliis, ſunt infima, vel parerga quæ

ma-

maximis ingeniis ſunt intricatiſſima nę-
gotia: Phocylidis hæc ſunt oracula vero
veraciora:

Χρυσὸς ἀεὶ δόλος ἐστὶ καὶ ἄργυρος ἀνθρώποισι,
Χρυσὲ κακῶν ἀρχηγὲ, βιοφθόρε, πάντα χαλέπτων.

hoc eſt:

Aurum ſemper fraus eſt & argentum hominibus.
O aurum malorum dux, vitæ labes, omnia euertens.

Et quæ ſequuntur:

Vtinam tu mortalibus non eſſes malum deſiderabile:
Tui enim gratia pugnæ & prædæ & cædes:
Infenſique liberi parentibus, fratreſq; conſanguineis.

Apud hoſce rerum naturalium inda-
gatio prętertur auro: quod niſi fieret, pre-
cio ſe conduci, vt alii, ſinerent & nihil ha-
berent auro carius aut precioſius: Salo-
monis ſapientiſſimi Regis ætatem, ſiue
etiam Saturni aureum ſeculum æmulan-
tur, quorum ille ſua ſapientia effecit, vt
tantum eſſet auri Hieroſolymis, quan-
tum tegularum in tectis, tantumque ar-
genti, quantum ſtercoris in plateis viſe-
retur, vt binis locis in Bibliis inuenitur
ſcriptum, alter vero auri vſum neglexit,
vtpote mortalibus tum incognitum, ſin-
gulis pauciſſimis & ſimpliciſſimis Naturę
bonis

bonis contentis ſub patrisfamilias moderatione, nulla lite, ęmulatione, luxuria, pompa, ſuperbia in mundo exiſtente, multo minus bello & armorum vſu.

CAP. VII.

Abuſus quidam taxantur in medicina, primo quod longæ Receptæ præſcribantur communiter, non tam in ægri commodum & morbi neceßitatem, quam Pharmacopæi lucrum & Medici oſtentationem, ne hic Empyricus videatur, cum ſatius ſit paucis & probatis uti ſimplicibus.

QVanta hoc ęuo vitiorum ſeges increbuerit ex vnica habendi auri radice nata & per omnes terras inſtar luxurioſi graminis propagata, quotidie animaduerti-

uertimus: Et hæc non ſolum Politias & ciuitates oppreſſit, virtutemq; in ſemine ſuffocauit, ne vnquam folia, flores aut fructus proferat, ſed quoq; artes liberaliores & ſcientias contaminauit, adeo vt fere ſeruiles ex iis fecerit.

Conſideremus ſaltem ſacroſanctam Medicinam, relictis cæteris, & inueniemus eam, veluti fontem ſua origine clariſſimum, quo longius deriuetur, muſco & illuuie immunda infici, hoc eſt, multis abuſibus dedecorari. Naturam paucis contentam eſſe iam diximus, idq; intelligendum tam in ægritudine de remediis, quã in ſanitate de eſculentis:

Cœna de dubia quod ſurgat pallidus omnis
Cernimus,

iuxta Poetæ mentem, & quo cibi ſint ſimpliciores quod eo ſint ſalubriores: Nõ enim vis concoctrix ventriculi & epatis varii generis aſſumpta alimenta tam bene aut cito in ſuccum & ſanguinem, hoc eſt Chylum & Chymũ corpori nutriendo aptum conuertere & vnire poteſt, quã vnius & ſimplicis eſſentiæ: Ita & iudicandum eſt de Remediis diuerſis, quod in

morbis curandis magnam diuersitatem inuehant: Non tantum enim in affectu contra naturã oppugnando sunt minus apta, vtpote minus inter se vnita & cõcordia, sed quoq; in natura propugnanda & conseruanda, quam si forent simpliciora. Scimus equidem causam compositionis medicamentorum esse pernecessariam, & non posse omnes medici intentiones, q̃ requirũtur, vno simplici remedio obtineri, ideoq; duo tria aut quatuor componi debere, vt cõpositum ex pluribus simplicibus id efficiat, q; simplex per se non potuit, neq; contra id quicquã dicturi sumus, at immodicam illam congestionem calidorũ vel frigidorum, primi, secundi, tertii vel quarti gradus, deinde secundarũ & tertiarũ qualitatũ, inq; singulis herbas, radices, semina, flores, fructus, cortices, vt ita excrescat Recepta (vt vocant) sæpe in viginti, triginta aut plures simpliciũ numeros: Hoc esse artis omnino putatur, & Pharmacopęis vtplurimum extollitur veluti dogmaticum, rationale & doctissimi medici opus.

Econtra si quis conscientię tenacior pauca, sed selecta & probata præscribat

(veluti olim laudabilis ille trium Cæsa-
rum medicus Iohannes Crato) hunc in-
doctum esse oportet & fere Empyricum;
licet multis doctrinæ patalangis antece-
dat illos congestores & omnium herba-
rum earumq; partium messores, tam ra-
tionis quam experientiæ expertes.

Illud scilicet est, quod hoc capite cen-
soria dignamur & obelisco notamus;
Pharmacopolæ oderunt breues illas de-
lineationes medicorum, nō iniuria, quia
ipsis sunt minus lucrosæ, at cubiti longi-
tudinem æquantes exosculantur & am-
plectuntur contrariam ob causam: Me-
dici plerique has præferunt illis, quia ho-
norificæ sint sibi de doctrina & experien-
tia sua testimonium reddentes, imo & de
diligentia, quod ægri salutem tot armige-
ris reuocare & postliminio reducere;
morbum vero oppugnare pręsumat; No-
uerunt quoque eas Receptarum formu-
las Pharmacopæo pergratas esse.

Verum abusus in his omnibus delite-
scit, & quod in commodum ægri dire-
ctum simulatur, in eius detrimentum ce-
dit: Hic enim exhauritur bonis absque
causa

causa ditatur alius, morbus protrahitur
ot discordibus remediis, natura prostet-
itur: Scelus est, inquit Damascenus,
compositis vti medicamentis, vbi simpli-
ia suffecerint: Frustra fit per plura, quod
eri potest per pauciora, commune est
Noëma: Cur igitur hi ab hoc scelere non
bstinent, cur hoc axioma non sequun-
ur? Ipsi sciunt, quod multitudo nimia
onfusionem pariat, præsertim in naturę
implicibus, quorum proprietates omni-
o non sunt cognitæ.

Exemplum videmus in comitiis ma-
ni alicuius regni, ad quæ si multi con-
uant, & singuli suam sententiam orete-
us exponant, fiet distractio negotii in
ot fere opiniones, quot sunt capita, nec
nquam concordia expectanda est ante-
quam ad pauciores rerum summa con-
rahatur, iisq; arbitrium multorum com-
nittatur: Hi vero pauci selecti sunt Prin-
ipes vel magnates pro cæteris minutio-
ibus ad consilium vocandi: Eandem dis-
ordiam & confusionem in multis sim-
plicibus animaduertimus, habent enim
ingula, quasi suas voces, hoc est qualita-

tes agentes, quæ si congerantur, in tot diuersitates, quot sunt illa numero, scindentur & discrepabunt.

Oportet itaq; eligere ex multis pauca, ex bonis optima, quæ pro illis morbo resistant & naturæ adsistant: Quod si fiat, medicus non ex numero seu quantitate discreta præscriptorum, sed qualitate doctus habebitur, Pharmacopola satis lucri faciet, & æger minus sumptuum, morbus magis oppugnabitur & natura defendetur.

Non enim omne quod magnum est mole, semper est melius minore, vt patet in homine & auro: Bruta, vt boues, equi cerui magna habent capita, homo minus, at plus cerebri & sapientię, quam illa: Exiguum est magnitudine aurum & longe minus cæteris metallis, quæ tamen in pondere duplo vincit, in virtute, pulchritudine precio & caritate longe exsuperat: De Tydeo dicitur, quod paruus fuerit corpore, sed animo longe maior: Idem de paucioribus simplicibus, sed efficacioribus statuendum est.

Sunt qui dicant ex compositione quorun-

rundam ſimplicium, quæ ſua natura & per ſe ſingula ſunt innocua, fieri poſſe venena, vt de ficubus, alteri fructui ſeu ſemini, iis quo ad guſtum valde ſimili, & noto, mihi à fide digna perſona relatum eſt, producta intoxicatione fortuita alicuius magnatis; Quod ſi ita eſt, non ſemper tutum erit congerere Indiam, Arabiam, vel Americam cum Germania; Vix enim illæ gentes inter ſe conuenient, an ſimplicia ſeu vegetabilia, in dubio eſt. Sol & cœlum alias illis locis, populis & plantis impreſſiones fecerunt, quam noſtratibus: Imo in vna Germania, ac forte in vno eodemq; campo vel horto creſcere poſſunt ea, quæ ſingula per ſe bona, coniuncta vero mala & venenoſa ſint: Habemus exempla in mineralibus notis, ſal cõmune innocuum eſt, ita & argentum viuum commune non eſt venenum, at ſi hæc duo ſæpius cõiuncta à ſe inuicem ſublimẽtur, fit inde mixtura venenoſiſſima, nempe Mercurius ſublimatus, deterrimũ venenũ: In quo, ne quis venenoſitatẽ argento viuo aſſcribat, hoc deliteſcit nihil mutatũ in ſua natura, cũ inde

iterum educi poſſit, currens & viuum, vt antea: Ita Spiritus vitrioli intra corpus ſumitur innocue cum liquore alio mixtus, nec non aqua ſalis petræ, ſed ex his duobus ſimul iunctis & deſtillatis, fit aqua illa fortis, corrodens metalla omnia, præter aurum, venenoſiſſima, nec vnquam ſumenda intra corpus, ſi illi ſal armoniacum, quod ſimiliter innocuum eſt per ſe, addatur, aqua fiet fortior & Regia, quæ aurum quoque aggrediatur & in aqueam tenuitatem reducat, natura tamen illius incorrupta & illæſa.

Verum obiicient alii nobis Theriacam, Mithridatium, compoſitionem Hamech, & his ſimiles, in quibus omnia ſimplicia etiam in magno numero, ita ſunt congeſta & per fermentationē digeſta, vt in ſaluberrima Medicamenta euaſerint, quæ ſeſquimille fere annos in vſu extiterint & multis myriadibus hominum opem attulerint.

Reſpondeo, hoc inficias non imus, imo eaſdem compoſitiones longo vſu probatas amplectimur cum omnibus dogmaticis medicis, & ſexcentas alias, modo ſint

ab ex-

ab experientia pro claſſicis & authenticis, receptæ, qui enim eas primitus confecerunt, non tam rationem ſeu qualitates calidas & frigidas reſpexerunt, quam experientiam & proprietates naturæ ſpecificas, quibus vel veneno reſiſtunt, vel ſaburram corporis impuram educunt, veluti in Theriaca eſt viperina caro, in antidoto Saxonica vua lupina & multa alia eiuſdem virtutis & intentionis: Noſter autem ſermo ad ea nõ extenditur, at ſaltem ad extemporaneas iuxta frigidum aut calidum congeries, quæ à nonnullis affectantur & oſtentantur.

Nouimus aliquando medicum, qui gloriabatur, ſe ne vnicum habere experimentum in morbis vſurpãdum prę aliis; ſed communi methodo inſiſtere, hoc eſt, iuxta qualitates primas, ſecundas & tertias omnia præſcribere, quam iactantiam potius ignorantiæ ſciendorum, quam ſcientiæ ſcitorum annumeramus & magis præpoſteræ voluntati, nihil amplius addiſcendi, niſi quod in genere traditum ſit, quam ſolertiæ animi, qua ad ſpecialia inueſtiganda accedendum, imputamus.

Longe equidẽ facilius eſt regulas vniuer-
ſales ab aliis accipere, & iuxta generalia
præcepta iudicare de ſpecialibus, quam
ſingulorũ ſpecierum luſtrationem & de-
lectum inſtituere per experiméta & effe-
cta, ſed illud longe incertius & veritati re-
rum incõuenientius, quã hoc agnoſcitur:
Cauſa hæc eſt, quia omne ſimplex ſeu ve-
getabiliũ ſpecies ſingulares habeat pro-
prietates, dotes & qualitates, quibus vnũ
ab alio differt, imo nõ raro contrarias, ꝙ
nõ ſolum verum eſt in diuerſis, ſed in vno
eodẽq; ſimplice, vt patet in Rhabarbaro,
quod qualitatibus primis caliditate & ſic-
citate, bilem in humano corpore auget,
epatis calorẽ intendit ratione vero quali-
tatis ſpecificæ, minuit eundem & cholerã
ex eo educit & expurgat, in Periclymeno,
ꝙ dicitur contrarias obtinere qualitates,
calidum enim eſt & frigidũ, vt taceamus
opium, acetum & innumera alia diuerſa-
rum qualitatum ſimplicia, q̃ in ſecundis
& tertiis qualitatibus ſibi aduerſantes o-
perationes in humano corpore præſtant,
coagulum leporis ſanguinẽ incraſſatum
extenuat, nimis tenuẽ incraſſat, ita vitrio-
lũ penetrat & aſtringit, plumbũ exterius

admotum discutit & repellit, argentũ viuum ponderosissimũ quoq; igne in superiora cogitur & densissimũ in penetrãtissimum corpus redigitur, post rediens ad pristinã naturã: Totum hoc mundi Theatrũ his exemplis abundat, nec vlla est natura tã vilis, q̃ non peculiare quid reconditum habeat, tanq̃ signaculũ suæ speciei ꝓprium & characterẽ suæ virtutis: quem si quis nõ cognoscat, potiorẽ simplicis alicuius potentiã ignorat, putamina, nõ medullas rerum in precio habens & vestẽ seu materiam, nõ fartum vestiũ, vt Comicus inquit, h. e. formam amans: Ne itaq; error contingat inemendabilis & periculũ fiat in humano corpore, tanquã in Care, cautionem hanc adhibere est operæ precium, vt nimirũ pauca probata simplicia vsurpentur præ multis ex tabulis generalibus depromptis: Nec vero admittendũ id vitii, quod à male moratis filiis aliquando effectu declaratur, dum potentia, honore vel diuitiis elati humiliores parentes agnoscere dedignantur: Estne Empyria seu experientia vna & vera mater Medicinæ & Remediorum vsurpan-

dorum? Imo; Cur igitur illam excludere vellemus & soli rationales, si diis placet, audire, tanquam experientia non indigentes: Solet quidem experientia dici stultorum magistra & ratio sapientum Domina, sed diuerso respectu: Qui enim à ratione se duci & regi non vult, vt experientiam cum damno cõiunctam admittat, necessarium est in communi vita: Nihilominus multæ & variç experientiæ rationem excoluerunt, & perfecerunt, siue in actum duxerunt, cum sine illis hæc bruta & inexculta omnino sit nec actu existat.



CAP.

CAP. VIII.

Secundo, quod Medicamenta magnifici tituli ab aliis fiant ex opinione hominum preciosis, cum alias vilioribus & vernaculis curari iidem morbi poßint, sed non ita gratis.

PRæter iam dictum abusum & alius inoleuit, tantundem damni ægro, lucri medico conferens, sub alio tamen titulo: Illi numero & quantitate remedium congestorum, hi qualitate & preciositate peccantes de aliorum pelle & loculo ludunt: Animaduertunt enim, quæ rara aut in æstimatione sunt, esse omnibus acceptiora aliis in copia existentibus & vilioribus, non quidem propter horum dotes aut qualitates minores, illorum maiores, sed quia ita consuetudo & opinio hominum postulat.

Vnde Galenus non sine ratione occul-

tauit aureum ſuum Emplaſtrum dictum
in Angina fœliciter vſurpatum, quo cen-
tum coronatos lucratus eſt, plures lucra-
turus, ſi aperuiſſet, cũ eſſet omnium rer
viliſſimũ, nempe Cyprii bouis pabulum
Nam multa per ſe optima & vtiliſſima pe
ſolam diuulgationẽ vileſcunt, ſiue quod
vulgus ſua fęce omnia contaminet, ſiu
quod imaginatio vſurpantium ea, quę an
te bona fuit, in contrarium vergat & ope
rationem illorum magis impediat, quam
promoueat: Etſi enim aliorum opinio i
me nihil agat tamẽ mea ipſius opinio m
gnos in me motus cauſari poteſt, quæ re
media vel adiuuet, vel retardet in effect
debito præſtando.

Exemplum patet in omnibus fere mor
bis & præcipue in Melancholia Hypo
chondriaca, cruce Medicorum vocat
quę rariſſime curatur à medicis etiã vald
ideo ſollicitatis & ſollicitis, cuius fruſtra
tæ curæ cauſa eſt, præcipua ægroti ima
ginatio in deſperando, quaſi curari ne
queat: Triſtitia enim & cura vel deſpe
ratio ſanguinem alterat, cor comedit
ſpiritus obtenebrat & inhabiles ad ſua
fun

functiones efficit: Tollatur itaque in illis præpoſtera imaginatio cum triſtitia iuncta & deſperatione, nec impoſſibilis erit curatio tanti mali.

Hinc quidam ſagaces & ad odorem lucri captandum prompti, vt ſimul magnā de ſe ſuiſq; rebus & auxiliis ſpem & exiſtimationem in aliorum mente, veluti aculeos, excitent & ſe qualicunq; medio tollant & ditent, precioſiſſima Medicamenta concinnare ſtudent aut præ ſe ferunt, ex AVRO, argento, gēmis, perlis, Bezoar, ambra gryſea, muſco, Zibeto & hic ſimilibus, iisq; magna nomina, inſtar Polypyrgonicis, indunt, iactantes hę eſſe Balſamū vitæ, Mercurium vitæ, Elixir, Sperma & Reſtauratiuū vitæ, aurum vel argentum potabile, axungiam, butyrum vel oleum ſolis, & quis enarraret omnes eorum titulorū phaleras & illecebras, ad alliciēdum ignaros excogitatas? In qua ſentētia plerıq; non falluntur; Balſamum n. vitæ ſuæ & reſtauratiuum intelligunt, axungiā vero & butyrum ſolis alieni, hoc eſt, auri, quod quoq; potabile facere ſe poſſe, non mentiuntur.

De-

Demus eos tantorum remediorum authores & ebuccinatores ex illis rebus admodum preciosis posse quid medicamenti vtilis efficere: Sed dabunt hoc illi vicissim, ex aliis rebus minus caris, non minus vtilia Remedia fieri posse, licet non adeo accepta, quam ista.

Adhæc dubitamus illos syncere agere & non salem pro auro vendere, vel venenum vitæ pro balsamo; Scimus quosdam Mercurio illo vitæ periclitatos, eiusque authoribus dicam dictam, vt alii sint cautiores, ne opium pro apio ministrent ægris, nec faciant experimenta per aliorum mortes.

Deinde hæc putamus morbis omnibus & singulis non ita conuenire, quam alia iis appropriata, licet ad corroborandum forte conducant.

Quæ si ita sunt, abusus est pessimus, iis vti medicamentis, quæ ægro sunt magis sumptuosa, minus vtilia, & nescio quid fæcis vel corrosionis habentia, & negligere & alto supercilio despicere illa, quæ plus virium, minus precii aut sumptus pollicentur, diuq; in vsu extiterunt, quorum

rum pericula ſuperiora ſecula tulerunt, & inuenta bona non repudiarunt, ſed nobis quaſi per manus tradita reliquerunt pro probatis & expertis.

De primo, ſi quis dubitet, videbimus, nimirum ex vernaculis & domi natis ſimplicibus poſſe æque vtilia Remedia confici, quam ex exoticis ex India magnis expenſis allatis, vel precioſis, auro & eiuſmodi aliis.

Eſt ſane hæc quæſtio à multis & magnis viris exagitata ſæpe & demonſtrata, ne nos opus habeamus latius in eam excurrere & operam terere: Aromata Indica & Arabica neutiquam ab vſu hominum in alimentis & medicamentis excludimus, ſed in ſuo valore & precio relinquimus, nec alia exotica & præſtantiſſima Dei dona: Tantum enim non concludimus, ſed nec nobis denegata eſſe ad morborum curationem apta & efficacia ſimplicia & Remedia, aſſerimus: Vtamur illis & his in loco & tempore, non omnibus, ſed paſſim: Precioſiora ex metallis nobilioribus, gemmis & aliis rebus cariſſimis facta medicamenta, ſi bene ſint pręparata

parata & absque fuco aut noxa, sint pro magnis, qui non nisi magnis curari velint, pro diuitibus & Midis, qui aurum edere & bibere gestiant, sperentq; ex eo sanitatem obtinere, veluti omnia alia terrena: Nec vero negamus vires auri medicinales, quas efficacissimas nouimus & alibi demonstrauimus, sed carpimus abusum multorum, qui aurum potabile fictitium, à se factum, pro vero docent suos discipulos, auro, aut pro eodem propinant aliis non sint imposturæ nota, qui ex gemmis, vt quoq; ex auro, varia fercula butyracea, oleosa, lacticinia & his similia, & acetaria, cum nec acetum, nec sal auri illis desit, si opus fuerit, facere sciunt, si modo illis creduli simus: At coquere & recoquere illos aurum, nullam autem inde Medicinam veram & proficuam facere posse, pro certo cognouimus: Menstrua sua dāt pro auro soluto, spirituali facto, eaq; vix absque vi corrosiua, à qua cuique cauendum erit: Imitantur malos coquos, qui si pisces ex aqua, in qua coxerunt, amiserint raptu aliorum, nudum ius apponunt esurientibus, in quo nil spei aut rei insit, nil virium
ad

ad nutritionem sufficientium: Ita illi cum decoxerunt aurum salibus, vstulationibus & aliis modis, eius cortices amisso nucleo, nidos volucri vacuos, vendunt magno precio pro auro potabili, spirituali, (qria inuisibile) facto, butyro, oleo, sulphure, & aliis aureis mercib. Potest fieri, quod posuerint aurum in vas, macerarint, per aquas & ignes, ad suum captum & libitum, at quot tales inde medicinas, quales iactant, effecerint, fieri nequit: Quod factum est, ita vocare possunt, nemine reclamante, sed quæstio est, an id sit eo nomine non indignum: Multi sunt Alexandri, multi Iulii, at vnus saltem Magnus rebus gestis dicendus, & vnus Cæsar à casu matris, inuentus est: Cęteri illis sunt nomine, non omine. similes: Sed de his alias. Si quis iam examinare vellet efficacia Remedia nostratia, licet viliora, latissimum excursionis campum reperiret: At nos iam dictis contentos breuitati studere oportet & illa alteri loco & tempori discutienda relinquere.

Pro secundo, magna lis sub iudice relicta est, an sincere & candide in suis

compoſitionibus vel operationibus egerint, nec quid pro ſubſtituerint: Humana enim imbecillitas poſita inter iuſtitiam & vtilitatem, facilius ad hanc, quam illam declinat, nullo arbitro præſente: Honeſtum non raro eſt cum rigore, vtile cum iucundo iunctum, quæ duo ſi in bilancem Critolai ponantur illud præponderabit huic, ſi in vulgi, hoc illi: Conſideremus, ex mercatoribus quam plurimos fere omnes merces adulterandi modos ſcire, & ſi qui ſint earum defectus aut vitia palliandi, in quibus duobus magna pars eorum diſciplinæ conſiſtit, quod tamen de omnibus intelligi nolim: Vnde Thebani nullos ex illis ad magiſtratus Iuſtitiæ gerendos euehebant, niſi per decennium à mercatura abſtinuiſſent, hac ratione, quod tanto tempore habitum imponendi, ante ſibi comparatum, depoſuiſſent, & iniuſte agere didiciſſent: An non illis hi ſimiles, qui medicamenta ægris vendunt, ſiue ſint Pharmacopæi, ſiue medici, ſi abuti ſua profeſſione velint? Præſumptio eſt contra eos, non probatio, quæ de indiuiduis clarior reddenda

& de-

&demonſtranda eſſet vberius, hic de ſpecie non item: Tertium erat, quod ſpecifica Remedia ex vegetabilibus & viliori bus facta magis contrariari morbo contingat, quam illa precioſa: Cuius cauſa haud dubia occurrit ideo, quia quæ ex delectu proprietatum fiunt, magis certa ſunt & efficaciora, quam quæ caſu: Si quis ad varia opera mechanica perfectiſſime efficiēda, vnum Hippiam nobiliſſimum, qui omniſcius videri voluit, adhiberet, effectu ſuo fruſtraretur, at ſi ſingulos peritos in iis artifices, etiamſi ſint de vulgo, eodem frueretur: Quod enim quiſque didicit & exercuit, in eo excellere poteſt, non alius, qui vix eam rem audiuit aut vidit: Ita ſi quis morbos diuerſos curare & propulſare velit, faciet id certius & fœlicius Remediis appropriatis ad ſingulos, licet ſint non magni valoris vel precii, quam precioſis, caris, non appropriatis, cuiuſcunque ſint nominis: Non vnus homo, etiamſi ſit Centimanus ille Briareus, magnum exercitum, variaſque phalanges ſuperare poteſt hoc æuo, ſed exercitatiſſimi milites, longo vſu animati, iuſta ma-

ſta manu id præſtare poſſunt, præſertim ſi cum ſingulis ſingulatim, vt cum morbis, dimicandum ſit: Sic nec vnum remedium multas ægritudines tam exacte vincere poteſt in genere, quam multa & probatiſſima in ſpecie. De homine dicitur, Pluribus intentus non curat ſingula ſenſus: Et Polypragmones ſæpe propriæ ſunt immemores profeſſionis, in alienis Lyncei, in ſuis talpæ: Idem de Polychreſtis medicamentis intelligendum, ne in his longius moremur.



CAP. IX.

Quod multi medicorum abhorreant ab omnibus Chymicis, non pauci à vegetabilium claſſe petitis & Galenicis Remediis, quorum neutrum fieri debeat demonſtratis cauſis, cum vtriſque pro caſus varietate vtendum ſit.

VT magna eſt palatorum differentia in hominibus, cum quod vni ſapit, & placet, alteri aduerſum ſit & diſpliceat, c quoq; eſt animorum iudicium diuerſſimum, ꝙ vtrumq; accidit partim ex naurali antipathia aut ſympathia cũ vna e magis conſpirante, cũ altera minus ſeu iſcrepante, partim ex prępoſtera imagiatione, ſeu diſcretione corrupta: Sunt q aſeo abſtinent per totã vitam, alii à natiitate per multos annos, quidã à vino &

cereuisia, sola aqua contenti viuunt: Et
in his mira est varietas, vt quotidiana ex-
perientia testatur: Impressiones vero fa-
ctæ in mente non minus variant, vnde il-
lud, quod duo, qui se ante non viderint
nec de se inuicem audiuerint, primo con-
spectu mutuam amicitiam affectent &
ineant: Econtra quis ab eo abhorreat, à
quo nec verbo nec facto læsus sit: Verum
quantum gustatus, sensus crassior & bru-
talis, superatur à subtilitate intellectus,
tantum quoque sapiens palato differt à
sapiente vero seu ratione: In eo non est
proprie actus reflexus, hoc est, respectus
in id quid & cur agitur, in hoc autem ma-
xime viget: Inde intellectus imaginatio-
nem sæpe, vt præceptor seu magister di-
scipulum, reprehendit, corrigit & emen-
dat, non autem illa gustatum: Inde mi-
rum est, inter doctos & sapientiæ dedito-
inueniri, qui discretione sua ita abutan-
tur, vt in vnum, veluti bonum, vltro ruāt
in aliud non minus bonum sinistro respi-
ciant oculo: De Medicis hic contrauer-
titur, cur illorum quidam solis Remedi-
ex vegetabilibus petitis & vsitato modo

Pharmacopæo præparatis, vtantur, & à Chymice cõcinnatis prorſus abhorreãt? Aut cur alii nouam ſectam anteponant veteri in Theoricis & practicis ſimul, & abſtineant ab omni Medicamento, quod non nouitatem & Chymiam redoleat.

Vtrique ſane mihi videntur potius à Phantaſia duci, quam intellectu: Nam Veteri, Dogmaticæ & rationali Medicinæ inprimis operam dandam eſſe, cenſemus, quo ad Theorica & practica, & in his & illis ſi quæ dubia occurrant, quocunq; modo emẽdanda, veluti iam ante de qualitatibus primis, ſecundis & tertiis diſſeruimus, Remediis quoque tam Chymicis, quam aliis, dummodo vtraque ſint abſque fraude & ſuſpicione, tanquam inſtrumentis Medicis, nitendum & vtendum, quod hoc capitulo inſinuabimus: De veteribus prius, poſt de nouis dicendo.

Iam ante ſatis demonſtrauimus, eſſe in ſimplicibus proprietates occultas ſeu qualitates ſpecificas, veluti nec vllus ex vere doctis Galenicis negare poteſt, cum in ſexcentis locis eæ à practicis inculcentur, illaſq; eſſe agentes in morbos potius,

quam à materia ſeu elementorum compoſitione deſumptas, qualitates primas, ſecundas aut tertias: Eas, non has, oppugnare morbos, tollere cauſas, mitigare ſymptomata & ſanitatem in corpus humanum, veluti Regem (Ægypti Ptolomæum olim Pompeius) in ſuum regnum, reducere.

Quod ſi ita eſt, cur non illis aucupandis & in ſimplicibus conſeruandis maxime ſunt intenti Medici? Fernelius in lib. de abditis rerum cauſis oblique rem eo deducit, vt deniq; probaſſe videatur, hãc qualitatem ſpecificam, quam formam vocat, in omnibus partibus cuiuſque ſimplicis latere, & per omnia elementa diffuſam eſſe: Hinc ſi per Chymiam ſimplex aliquod diſtilletur in aquam, poſt in oleum, denique in cineres & ex his in ſalem redigatur, tradit omnes has partes, aquam, oleum & ſalem participare ſpecifica qualitate dicti ſimplicis, ſingulas, vt opinor, integre (& non diuiſim) ſed vnam magis intenſe, quam aliam, omnes ſimul iunctas integerrime & intenſiſſime.

His

His ſtantibus & confirmatis, ſequitur, corpus palpabile cuiuſq; ſimplicis, quod tunditur, ſcinditur, cribellatur, coquitur, miſcetur in ſua corpulentia cum aliis, eſſe carcerem vel (ſi mauis) domicilium quæſitæ qualitatis ſpecificæ, morborum curatricis, & veluti nidum auiculæ: Idcirco dubitet quis de præparatione communi Pharmacopæorum, qui nullam ſeparationem boni à malo, qualitatis idoneæ à corpulentia inſtituant: A ratione alienus videtur ille, qui dominum alicuius domus accerſere iuſſus, domum vna cum domino apportari inſtitueret (quãuis dominus à domo denominationem & authoritatem habeat) qui aues cum nidis coqueret, cochleas cum teſtis ſuis deuoraret: An ita quoque cenſendum de illis? Neutiquam: Faciunt enim Pharmacopæi, quod poſſunt, ꝙ licet per naturã & artem: Qualitates n. occultæ captari nequeunt, abſq; ſuis retinaculis, nec cõſeruari abſq; corporea mole: Camphora expirat tota fere, niſi foueatur ſemine lini rhabarbarũ exiccat, niſi cera, ſpiritus

vini & sal sanguinis ceruini exhalant omnino, nisi in vitris optime clausis à fuga detineantur, quæ tamen omnia sunt corpora, licet illa densiora, quam hæc.

Quid igitur dicendum de specificis illis qualitatibus separatis à suis corporibus seu hospitiis; An non tenderent in patriam elementarem quæq; suam, ignis ad ignem, aër ad aerem? Hoc omnino rationabile & credibile est: Ad hæc, quis separet qualitatem specificam ab igne, quæ est, vrere, ab aqua, quæ est, humectare, à terra, quæ est siccare? Si hoc impossibile est in simplicibus, multo magis in compositis corporibus, seu mixtis? Ad impossibilia autē nemo obligatur, quod si sic, frui potest beneficio restitutionis in integrum.

Ex his sequitur, Dogmaticos medicos medicamentis vti naturæ & rationi consentaneis, licitis, possibilibus, ab aliis abstinere, quę magis optanda, quam speranda sunt. plus ostentationis, quam veritatis obtinent.

Boni itaque sunt syrupi, condita, iulepi & conseruæ, nisi sacchari copia obruat

illam vim in corpore ſimplicis latentem, quæ quæritur; Bona ſunt electuaria, opiatæ, antidota, niſi inconueniens plurium confuſio potius, quam vera mixtio eandem proprietatem (quæ in multis non eadem eſt) impediat, obſcuret & extinguat: Bonæ ſunt pilulæ & omnia alia Remedia amara, acria, auſtera, graueolentia in magna quantitate propinata & exhibita, niſi ægris & ſanis ſtomachum verterent, nauſeam conciliarent, vt morbum potius, quam illa admitterent & tolerarent: Si amaricies, acredo, auſteritas, graueolentia eſſent de qualitatibus ſpecificis alicuius ſimplicis, hæ ſane in eo magis freno, quam ſtimulo indigerent & ſatis excellerent: At non ſunt eiuſmodi, ſed ſaltem miniſtræ & pediſſequæ veræ illius Dominæ, ſeu qualitatis ſpecificæ: Inde vt miniſtræ ab hac diſcernantur & auocentur, quo colloquio vel bono huius quis frui poſſit, occaſio obſeruanda eſt, quæ certe per Chymiam obfertur: Chymia enim ſeparat ſuperflua impedimenta ab vtilibus qualitatibus, ſi modo vere & rationabiliter tractetur & in vſum adhibeatur.

tur: Non quaſi exiſtimandum ſit, Chymica Remedia eſſe omnino ſpiritualia & corporis expertia, ſed magis purificata, quam alia, magis penetrantia, quam corpulenta, magiſque efficacia, communia pleraque & à proprii corporis & additi ſacchari mole, vel aliorum mixtura incondita obrui, eorumque qualitates ſpecificas, quæ liberari & in lucem produci deberent, magis ſupprimi & incarcerari.

Vnde conſtat, Dogmaticis medicis non faſtidiendam adeo eſſe Chymiam, vt pleriſque perſuaſum fuit, ſed ea, vt ancilla & coqua vtendum, ad magnæ illius Reginæ, Hygieiæ, placitum & emolumentum: Non ſolum vrendum, cauterizandum, & ſecandum eſt medicis, vt morbus eiuſque cauſa extirpetur cum iactura virium ægri, maximoque dolore vel incommodo, ſed quoque ſymptomata ſedanda, vireſque reſtaurandæ ſunt cum gratis & acceptis, nec non tutis Medicinis: Archagatus Lyſaniæ filius, Peloponenſis, primus è medicis Romam venit, L. Æmilio & M. Liuio conſulibus, vt

Caſſius Hemina apud Plinium (capit. 7. libr. 25. & cap. 3. libr. 30.) teſtis eſt: Eique ius Quiritum datum & taberna in compito Acilio empta: Fuit autem Chirurgus, eiuſque aduentus mire gratus ab inititio: Mox à ſæuitia ſecandi, vrendique nomen carnificis meruit: Quæ eadem cauſa fuit, cur vno tempore medici omnes Roma expulſi ſint, cum carnificinam potius, quam medicinam, & Libitinam magis qnam artem liberalem ſanitatis reſtauratricem, excercere viderentur.

Hinc illud Iuuenalis:

Quot Themiſon ægrotos autumno occiderit vno:

Martialis de alio ſcribit Choraule, qui prius medicinam, poſt Libitinam fecerit, nec aliud poſt, quam prius, nempe homines ſepulturæ tradiderit: Charmis ex Maſſilia medicus aliorum inuenta pleraque & blandimenta damnauit, frigidaque aqua hybernis algoribus ægros lauari voluit: Merſiit ægros in lacus adeo, vt Plinius dicat, ſe vidiſſe capulares ſenes in iis rigentes: Aceſias podagricos curare volens reſpiciens ad

mor-

morbum dolorem neglexit,& auxit: Vnde natum adagium, Acesias medicatus est, vbi res in deterius vergit, vt habet Erasm. in Chiliad.

Præ iam dictis magis salutarem ægris præstiterunt tum opem tum operam, qui miscuerunt vtile dulci & salubria naturæ acceptis: Asclepiades Prusiensis, Cn. Pompeii familiaris rationem primus reperit qua vinum ægris mederetur, relato è funere homine & conseruato: Dicebat salutem constare cibi potusque abstinentia, præterea gestatione, ambulatione & fricatione: Idem blandimenta & lenocinia ad ægrotorum gratiam & iucunditatem commentus est: Siquidem & balneorum consuetudinem fecit, primusq; lectulos excogitauit suspensiles, quorum molli iactatione irritaretur & obreperet somnus: vt tradit Plinius lib 7. cap.37. & lib.26.cap.3. Idem lib.24. ait, Democritum fuisse medicum, qui in valetudine Considiæ, M. Seruilii consularis filiæ, omnem curationem austeram recusantis, diu efficaciter vsus sit lacte caprarum.

Agron, vt Cælius refert lib.13.cap.22. Athe-

Athenis fuit medicus, qui pestilentia ibi grassante plerisque affectorum opem intulit salutarem, accensis in proximo ignibus, quod & Hippocrates fecit, vnde magnum nomen adeptus est.

Vnde patet magis humanum esse, ægris mederi absque sæuitia, symptomata non negligere, dum curatur morbus extirpando causam, refocillationes virium instituere & gratiam ac confidentiam inire apud ægrum, quam rigido tenore perstrepere, eadem oberrare chorda & Misandrum se gerere: Non semper plenis velis vtitur nauta ad portum, nec viator recta linea ad scopum, nihilominus vterque eo, quo vult, peruenit: Fabius cunctando Romanam restituit rem, quæ forte per temeritatem incõsultam periisset: Lente festinandum persuadent prudentes, & maturanda consilia: Nihilominus methodus medendi dogmatica manet integra & continuata, eiusque axiomata inconcussa, sublata causa, tolli effectum morbum, curato morbo euanescere symptomata, & quod Ouidius canit; immedicabile vulnus ense recidendum est, ne

pars

pars ſincera trahatur: Atq; illa omnia ad cito, tuto & iucunde curandum morbos, per Chymiam maximum adiumentum impetrabunt, quod ab aliis latius expoſitum eſt, nec opus eandem cantilenam toties reiterare: Aures enim ad hanc induratæ, non capient, veluti Bæoticæ & craſſæ, apertæ vero & faciles iam dicta percipient, iiſque acquieſcent.

Sed nunc ad alterum latus obuertámus proram, & contemplemur meros Chymicos & omnino, vt videri volunt, nouos medicos: Horum alii diuini eloquii affectant titulum, hoc eſt Theophraſtici videri volunt, neſcio, quo iure, cum ipſe author tale nomen nec à patre, nec matre in baptiſmo acceperit (Philippus enim Bombaſtus vocitatus fuit) nec à ſummo Principe impoſitum habuerit, ſed ſibi à ſe ipſo, quod cum ſit magnificũ & laudabile, ſeipſum magnifecit & laudauit: At ſapiens,

Ne te collaudes, inquit, *nec te culpaueris ipſe,*
Hoc faciunt ſtulti, quos gloria vexat inanis:

Virum doctiſſimum & ſingularem in Medicina eum fuiſſe non eſt dubium: An pro-

propterea ſat cauſę habuerit, omnem veterem conculcandi & nouam his vltimis ſeculis in mundi ſenio, introducendi Medicinam, aliorum ſit iudicare.

Ridiculum aliqui putarunt, ſi ſexagenario maior medico carpum porrigat, hoc eſt, à morbis curari velit, ſiquidem cum morbus morti, tanquam frater fratri, pactum & hæreditatem cõcedere cogitet; Quid dicemus de huius mundi Silicernio, an ipſe quoque nouam medicinam Medicinæ, ſeu maraſmo potius, quã morbo ſuo medelam poſtulare audeat? An illi quis inuito obferre & infundere elleboriſmum præſumat? Contrarianti nihil dari, aliquid auferri per vim poteſt, ſi cui lubeat: Ita vereor, ne & antiquæ Medicinæ multa ab illo authore ablata ſint, mundo autem ſeni pauca ad vtilitatem accommodata: Bona medicamenta, quæ habet, non recuſo, ſed monarchiã eius, & tot plauſtra calumniarũ in omnes alios (ſe vno excepto) medicos congeſta & effuſa, non agnoſcimus pro rationalis hominis, nedum virtute præditi tecmyrio, vel inſigni.

Quod

Quod Theſſalus olim, Neronis tempore affectauit, cuncta maiorum placita tranſiliens & rabie quadam in omnes eius æui medicos perorans, idem hic noſtro & auorum tempore: Chryſippus ſimiliter, Eraſiſtrati præceptor, Hippocratis placita & aliorum ingenti, vt ſcribunt, garrulitate mutauit: Crinas Maſſilienſis ad ſyderum motus ex Ephemeride mathematica cibos dabat, horaſque obſeruabat: Huic non abſimiles & nunc inueniuntur, plus habentes in promiſſis, quam effectis: Hoc ſcimus, aliis maledicendi ſtudio non acquiri poſſe Monarchiam, nec propriis ſpeculationibus (quæ ſunt phantaſiæ opera, non intellectus agentis) artem vetuſtiſſimam, quaſi arcem munitiſſimam, ſubuerti, inque eius locum nouam ſubſtitui vel ædificari.

Chymici vel Medici, qui Paracelſi doctrinam ſequuntur, vtinam nec in mores ſui magiſtri degenerarent, & res relictis perſonalibus tractarent: Multorum hoc ſeculo eius farinæ inueniuntur libri, ex quibus ſi calumniæ & canina eloquentia, in medicos exercita, tollantur, quod reliquum

quum eſt, tantum doctrinæ, quãtum inania ſtramina frugis, continebunt: Figantur obeliſci in locis illis maledicis, non aſteriſci, apponatur litera Θ. non A. notentur carbone, non rubrica blaſphemiæ & curentur Oſtraciſmo tam crudeles affectus, quibus vna Anticyra non ſufficit: Perſonę maneant intactę, communis hoſtis eſt morbus, eiuſque cauſa & effectus ſeu ſymptoma: In hunc Medici inſiliant, tanquam canes in lupos, nec ſe inuicem allatrent, aut mordeant, quod ſignum eſt degenerum: Taceant, qui nil niſi latrare nouerunt, hominum eſt ratione vincere, non ſola oratione, intellectu, non rabie aduerſantem aggredi, quod monuiſſe ſat eſt.

Quod ad medicamenta mere Chymica vel Paracelſica attinet, ea quatenus bona ſunt, laudamus, ſed ita, ne Galenica & dogmatica vituperemus: His & illis alternatim vtendum erit, in nullius præiudicium aut contemptum: Non ſumus nos homines meri ſpiritus, ſed corporeæ ſubſtantiæ, inde nec opus habemus meris purificatis ad ſummum medicinis

ſemper in omni affectu, loco ſeu parte læſa indiuiduo vel perſona: Sunt morbi, qui Chymica remedia reſpuant propter caliditatem vel ſiccitatem, ipſi calidi & ſicci valde, & ſi admittant, non tamen hæc alia propterea anteuertunt, aut repellunt: Sunt mercatores in republ. ſunt & agricolæ; non hos illi, nec illos hi excludere poſſunt aut debent: Ita in officina Pharmacopolii bene ordinata, vtraque vſurpantur Remedia, Galenica & Chymica, non hæc aut illa ſola, ſed nunc in perſona delicata, vel ruſtico, nunc in morbo leui vel aſpero, nunc in hoc vel illo tempore: Indicationes enim quæ ſumuntur à cauſa morbi valde vel leuiter infixa, à morbi genere, & ſymptomate id ſequente minus vel magis grauiore, à parte affecta, ab ęgri naturæ proprietate vel cõſuetudine, ſunt præcipuæ, nec omnino negligendæ ad qualitatem & efficaciam, iucunditatem vel quantitatem Remedii indiuiduo accommodati inueniendam & definiendam.

CAP. X.

De vitiis in persona medici non tolerandis, à quibus Fraternitas R. C. immunis est.

EXcursum hunc à Fraternitatis R. C. Medicorum legibus in abusus quosdam nostratis medicinę hactenus institutum non abs re fecimus, cũ intelligamus dictos fratres prima sua lege, qua gratis medẽtur aliis, omnes hos abusus & enormitates exclusisse, quę potissimum ab auidate lucri emergunt & procedunt: Hinc enim illi longarũ Receptarum authores stimulãtur, nec nõ nobilium Medicamẽtorum artifices mouentur, ac deniq; solis vegetabilibus, aut meris Chymicis vtentes Remediis, nempe vt aucupium sibi cum sacræ Medicinæ dedecore faciant, quorum multi dant longas schedas, inanes feculas vel rixosas nęnias pro auro ægrotorũ: Habeatur quidẽ proprii lucelli ratio, sed ita, ne negliget honesti, iustitię & veritatis respectus sit amicus Æsculapii filius, sed vsque ad aras, ne Æsculapii de-

ſpiciantur nepotes, Hippocrates & Galenus, eorumque methodi ſequaces: quibus tamen natura longe præferenda eſt, ſi aliquando illi ab hac declinent ad inuia rationis inextricabilis, hoc eſt, ſi experimenta probatiſſima ex naturæ arcanis eruta & deprompta habeantur, quæ ſunt proprietatis occultæ & qualitatis ſpecificæ, non nuda ratio à regulis qualitatum primarum ſeducta ſequenda eſt: At præter ante dicta abuſuum genera, quæ circa artis Medicæ opera & inſtrumenta: veluti ſunt remedia, contingunt, percurremus quoque nonnulla, quæ exiſtunt in perſona Medici vitia: His enim non raro ſalus ægri periclitatur & in diſcrimen adducitur, & ſi quid boni per medicationem fiat, vtilitate ſua priuatur: Sunt autem talia Philautia ſeu ſuperbia, odium & inuidia, rixæ & calumniæ ore vel ſcripto ſparſæ, auaritia, ineruditio cũ audacia coniuncta & his ſimilia, quæ Medici perſonam dedecent: Hæc qualis eſſe debeat, ſatis ab Hippocrate & aliis deſcripta eſt, nec hic repetitur, quod vulgatum alibi: Philautia ſeu ſuperbia nullum ex mor-

mortalibus decet, siue hominem, cui vt humanitas, sic illi mors præscripta est: Inflatio vesicam extendit, sed in periculum adducit: Hinc Iohannes Gerson aduersus superbiam de ea sic scribit:

Vidi ego vesicam modico turgescere flatu,
Quæ pisis sonuit quatuor impositis:
Hanc puer vnus acu pupugit, displosa repente
Vilis & absque sono flaccida detumuit:

Ita superbia hominem prætumidum efficit, vt sonet & strepat bombos, crabronum instar, at mors vel leui febricula eum iugulat & prosternit: Omnium vero minime medico Philautia competit, multorum vitiorum nutrix: Menecratis, Thessali & his similiũ ante meminimus, nec desunt exempla nostro æuo: Quod dicitur, scientia inflat, intelligi debet de stolida, seu stulta, vnde Germanis superbus (stoltz) denominatur: Qui enim putat se scire id, quod nescit, illius attollit vacuum plus nimio gloria verticem, vt Horat. inquit: Socrates vnum se scire professus est, idque erat, quod sciret, se nil scire: Hoc vnum si ignari scirent, non adeo superbirent, & literati forẽt humanio-

res; Quid homini humanitate magis pro-
prium? Quid medico medicina animi,
quæ est philosophia, (cum corporis pro-
fiteatur) magis congruum: Hinc in ver-
nacula lingua ab artibus (Artzt) medicus
appellatur: Prudentius de Philautis: De-
sine, magna loqui, frangit Deus omne su-
perbum: Et alius; Magna cadunt, inflata
crepant, tumefacta premuntur. Odium
quoque & inuidia dehonestant medicos,
qui plerumq; (nonnullis exceptis) se mu-
tuo dignantur illis exercitiis: Syl. lib. 13.
de inuidia scribit hoc modo:

O dirum exitium mortalibus, ô nihil vnquã,
Crescere nec magnas patiens exurgere laudes
Inuidia:

Ouid. lib. 2. Metam. Pallor in ore sedet,
macies in corpore toto: Hoc enim boni
inuidia in se alias pessima obtinet, quod
seipsam consumat & emaciet, secundum
versiculũ: Inuidus alterius rebus macre-
scit opimis: Hinc melius est inuidiã alio-
rum, quam misericordiam mereri; Huius
enim subiectum, circa quod versatur, est
miseria & rerum inopia, illius fœlicitas &
copia: Hoc vitium, vt hedera arbores, qui-

bus adhæret, damno, ſic illos, quos ſe ſuperiores agnoſcit, liuore adficit: Vnicum illi remedium eſt, Virtus: Hinc in diſticho vere dicitur:

Inuidiam virtute, malum bonitate, fauore
Oſores vincas, ſpeque fideque Deum:

Quem non magnanimum & virtuti deditum hæc belua confecit? Hac periit Abel furiis Caini fratris, Æſculapius, vt poetæ aſſerunt, fulmine Iouis, quod Hippolitũ ſuæ medicinæ virtute in vitam reuocaſſet. Talus, Dædali diſcipulus, q ſpinas in piſce notauit, Ouidio teſte, & ſerrã, figuliq; rotam inuenit, præceptoris odio: Ob hanc declinandã multi patria ſponte exceſſerunt & in aliena terra vixerunt, vt fecit Iphicrates in Thracia, Timotheus in Lesbo, Chabrias in Ægypto, Chares in Sigæo, qui omnes Græci ſunt: Apud Romanos Pompeius poſt tot triumphos & imperia, domi aut ruri ſe continebat, raro in publicum prodiens: Hac Gorgone incitati diſcipuli non pepercerunt præceptoribus: Sunt, qui dicant Ariſtotelẽ magiſtro ſuo Platoni adeo inuidiſſe, vt bonã eius operum partem flammis & incendio

dederit: Aiax inuidit Vlyſſi, Zoilus Homero, Didymus Alexandrinus M. Tullio, eidem Aſinius Pollio, Palęmon grammaticus M. Varroni, quem porcum appellauit, Themiſtocles Athenienſis Miltiadis trophæis, Cæſar Catoni, Adrianus Traiano, M. Craſſus Pompeio, Alexander Achilli, viſo eius ſepulchro, Iulius Cæſar Alexandro ad Gades apud Herculis templum, & quis enumeret omnes Inuidiæ Lytas & prolytas? Quanta mala hinc exorta ſint, æſtimari nequit: In medicis eo damnoſior, quo Medicinę ſubiectũ, quod eſt corpus hominis ægtum, nobilius exiſtit, quam aliarum artium: Hoc vitium non raro in rixas & calumnias excreſcit, longe ſe peiores: Cacoëthes eſt noſtri ſeculi & Noli me tangere, bene calumniari: Hinc tot chartæ emiſſitiæ, nigro felle, ſtillantes, hydrophobiæ obnoxiæ circumferuntur: Calumniam Apelles penicillo, Lipſius calamo optime deſcripſit cui quid adiicere, ſuperuacaneum arbitramur: Auaritia radix malorum non abſque cauſa dicitur, cui nihilominus quamplurimi ex Pæoniis ſunt deditiſſimi, non
exiſti-

existimantes se vitio teneri, cum insatiabili desiderio cumulandi opes noctu, diu, per fas & nefas angantur & crucientur: Huic malo vnice student & se mancipãt, quod, cum cætera ætate decrescant, solum augetur, viresque acquirit ab annis: Vnde non immerito mirantur quamplurimi, inter quos Tullius, cur homo ad senectutem accedens vel appropinquans fiat ad rem attentior & nummorum, rerumque ad humanam vitam commode agendam necessariarum cupidior & tenacior, cum ridiculũ & à ratione absonũ sit, illum, cui multum itineris peragendi superest, minus viatici, cui parum, plurimum requirere: Lucri odor non ingratus est senibus, etiam si alterum pedem, vt dici solet, in Cymba Charontis, vel sepulchro haberent: Inde & medici dum senescunt & vsu artisque operibus inclaruerunt, vt plurimum auari redduntur: quocirca sæpe iustitia cogitur apud illos de via cedere auaritiæ, & conscientia lucro: Hoc vitium multas actiones bonas in medico impedit, malas causatur: Idem si Pharmacopœo accidat, cum damno to-

tius ciuitatis coniunctum: Nullæ compositiones rite ab eo fient, aut ex simplicibus inueteratis & cassa nuce non æstimandis: Hinc fallitur medicus & sua intentione, ob vitiũ remedii, frustratur: Fallitur & æger, omnesq; ad eum spectantes in sanitate obtinẽda & faciendis absq; causa sumptibus: De ruditate medici examinati & probati nihil dicimus, sed de imperitia multorum huic amplissimæ prouinciæ se addicantium, cui cum sint ob defectum doctrinæ & experiẽtiæ longe impares, patronam sibi adsciscunt Audaciam in sermone vernaculo, in opere medico, & opinionis suæ patrocinio: Imo quo quẽ ineruditiorem animaduerteris, eo in suo placito defendendo impudentiorẽ inueneris: Oracula sibi videntur promulgare & mysteria, cum manifeste falsa adfirmant, ne dicam mendacia: Nisi his ad nutum steteris & omnia feceris, habẽt calumniã clandestinam, vel apertam rixam ad manum, nec deest iis odium aut inuidia: Sed niger est, hunc tu Germane caueto: At dicat aliquis, tu ne es censor alienorum vitiorum? Fateor, neminem absque vi-

riis in hoc mundo degere, ſed alios ea carpere digitis, alios integra manu: quoſdam delectari & ſatiari illis, à quibus tamen multi abhorrent: Hæc & his ſimilia de medica iſta Fraternitate R. C. dici aut intelligi non poſſunt, qui omnes abſq; arrogantia aut ſuperbia viuunt, non odio nec inuidiæ indulgent, ſed in eo ſe oblectãt, vt alter alterum erudiat, nec aliquid ſciat, quod vni ex fratribus ſit incognitum: Calumnia aut rixa apud eoſdem locum non inuenit, multo minus auaritia: Ab his omnibus veluti iugis noſtratium medicorum ſunt liberi, quantũ humanæ naturæ imbecillitas permittit: De eruditione vero eorum tum in Medicina, tum in aliis artibus liberalibus omnibus, liber M. teſtimonium reddet, & ſunt aliquorũ hac de re ſpecimina Wetzlariæ, & M. edita adhuc in recenti memoria, præter ea, quæ in libro Famæ, Confeſſionis & aliis ſcriptis illorum Mineruæ publicatis continentur: quæ ſi quis attente legat & inter ſe, cumq; ratione natura & aliis circumſtantiis comparet, hactenus dicta veraciſſima inueniet.

CAP. XI.

An dicti Fratres vocati ad morbum aliquem curandum teneantur comparere, & num curent absque discrimine omnes morbos, tam incurabiles, quam curabiles, & demonstratur, quod neutrum.

NEgotia illa, quæ in communi vita aguntur, legibus ſubiecta, cum non minus, quam homo, variis mutationibus temporis, aliarumque iniuriarum obrui & ſupprimi, atque ex memoria rerum geſtarum, hoc eſt, hiſtoria politica excidere ſoleant, inuenta eſt ars notoria ſeu notariatus, quo illa notarentur, & ad ſeram poſteritatem, tanquam fide digna & vera, pro vtilitate eorũ, quibus intereſt, tranſmitterentur: Et ſi quis hoc officio ſit inſignitus & legitime inſtructus, ad vocatio-

ionem cuiusque egentis eius scriptura
: testimonio tanquam publicus Iustitiæ
dministrandæ aut promouendæ mini-
er, comparere & non emanere tenetur:
i vero in paruo eo mundo, homine eius-
ue vita quicquam contingat, quod præ-
ernaturale seu contra naturam omnino
t, vtpote morbus cum sua causa & effe-
u, ad medicam subito confugit æger o-
em: Verum cum medicatio non sit res
ublica, sed ad priuatam alicuius indiui-
ui sanitatem recuperãdam spectet, hinc
edicus cogi ex officio nequit, vt illi, cui
on est obstrictus de iure vel seruitio, me-
icinam etiam inuitus faciat: Nec enim
ublice ministrat omnibus Medicus, sed
riuatim propulsat morbos, velut naturæ
inister & altera manus, non autem æ-
roti: quem regit sub Regimine debito
erum sex non naturalium, & vsu Phar-
aceutico, donec victa ægritudine eiusq;
ausis pristinam reducat corpori valetu-
inem: De Fratribus R. C. posset quæri,
um ipsi Medicinam ex professo tractẽt,
ec quicquam aliud præter eam, secun-
um primæ positionis seu legis (in qua
euol-

euoluenda adhuc versamur) præscriptũ, an inuitati & rogati publice per Epistolam, vel oretenus ad curandum certam ęgritudinem in loco determinato (vt per multi petierunt) se sistere teneantur, ex promisso vel quasi, vel officio, ex obtestatione vel charitate in proximũ? Respondeo, nullo modo ex his, nec quoquã alio. Si enim nullus alius ad id cogatur medicus, multo minus ipsi, qui dant sua munera gratis, quibus volunt, non coacte, qu arrham à nullo, nisi Deo acceperunt, cu soli, vna cum summo Magistratu, absqu dubio morem gerunt: Si aliter esset, non vltra hæc crenam meam extendero: Ve rum cum de hac quæstione in tractatu nunc quoque edito, cui titulus, SILENTIVM post clamores, latius egerimus cramben illam hic recoquere supersede bimus.

An insuper curent omnes morbos ab que vllo discrimine tam incurabiles alia quam curabiles, vt sunt ex illis lepra, hy drops, pestis, cancer, phthisis, hectica, po dagra, & his similia, à multis curiosis in quiri posset?

Qu

Quibus responsum reddimus, quantum ex ipsorum scriptis & factis colligere potuimus, ipsos fateri, quod suæ propriæ mortis & fati instantis nullam cognitionem habeant: Quod vt verum est, sic inde patet, quod nec remediis suis, quantumuis efficacissimis morbos ad mortem destinatos in se aut aliis curare præsumant aut valeant: Id enim tentare, esset Dei Prouidentiæ & voluntati contraire, seq; aduersantes prębere.

Sunt autem antedicta mala triplicis augmenti, primo in principio, secundo in aliquali duratione & confirmatione, tertio in radicali infixione & diuturniore adflictione: Si sint in principio, curabilia sunt pleraque ex illis etiam dogmaticis in arte peritissimis; si in acme & confirmata sint, tum absque dubio Fratres R. C. Remedia quoque habebunt, quibus ea tandem propulsent & extirpent ex Dei altissimi nutu; quod si vero ad mortem ea tendere debeant, nec in initio, nec in medio curationem recipiunt, sed mox ostendunt, quem finē sortitura sint: Quæ in tertio sunt ordine

toto

toto genere ſunt incurabilia, ad quæ exulceratio cancroſa mammæ in muliere Wetzlariæ non curata, ſed lethalis, derelicta fatis, ſpectauit.

Quod ad reliqua morborum agmina pertinet, vt ea omni experto medico Remedia debita vſurpanti cedunt, ſic etiam illis, qui communia tam Galenica, quam Chymica non ſolum poſſident medicamenta, ſed etiam, vt ante traditum, longe alia, quæ nullibi proſtant, & à pauciſſimis in mundo concinnari poſſunt.

Quod de omnibus medicis dici poteſt, idem de illis:

Non eſt in medico ſemper releuetur vt æger:

Sæpe etenim docta plus valet arte malum, vel Sæpe etenim longæ præualuere moræ: Cauſæ, cur medici etiam probatiſſimi non omnes ægros ſanitati priſtinæ reſtituere poſſint, ſunt multiplices: Primo malum pœnæ excludit bonum illud gratiæ, vel ad moram, vel ad mortem, ordinatum: Et hæc eſt cauſa primaria; ſecundariæ ſunt, morbi ſuo genere lethales, per ſe, vel ex aliis morbis præcedentibus generati, vt iam dicti & quamplures

aliis

lii: Pleuritis, ſeu inflammatio pleuræ
morbus eſt per ſe periculoſus, at ſæpe cu-
ratur per debita media in tempore adhi-
bita: Quod ſi eius materia inflammans
non educatur ſanguinis miſſione, efflatio-
ne, vel deriuatione per tuſſim, intra 40.
diem, corroditur pleura & pus effundi-
tur in cauum pectoris, fitque aliud morbi
genus, Empyema dictum, ſeu ſuppuratio
in thorace contenta; Cui niſi natura ſub-
ueniat, per puris eductionem in vrinarios
meatus clandeſtinis viis, vt aliquando fa-
ctum eſſe obſeruatum eſt, vel ars per inci-
ſionem muſculorum intercoſtalium &
puris per canalem vulneri inditum, ex-
tractionem, intra 40. diem ab effuſione
eius in thoracem, exulceratur pulmo &
fit tabes, quæ eſt malum incurabile fa-
ctum ex curabili.

Sed hic illa quæſtio occurrit, ſi ſaltem
curabilia curentur ab illis, ea quoque per
ſolam naturam abſq; arte euaneſcerent,
& ſic ars eſt ſuperuacanea, nec plus pro-
mouetur per illam, quam ſi malum natu-
ræ committeretur? Hæc eſt hydra mul-
torum capitum, quæ forte magis intacta

relinquenda ſit, quam male occiſa: Sed nos breuiter eam contundemus: Quæ fiunt in toto mundo, non ſolum in Medica curatione, an ita fieri neceſſe ſit, vel num aliter quã facta ſunt, fieri potuiſſent, diſquirant alii longis diſcurſibus: Cardanus omnia Fatali neceſſitati aſſcribere videtur, atq; ea eſt Stoicorum antiquorum opinio, qui tamen Deum ipſum Fato ſubiiciunt, quaſi coactum, nec illi reſiſtere valentem, quæ eſt impietas: Dicimus autẽ, Deum eſſe liberrimũ & omnipotens Numen agẽs, quod naturam ordinauit, tanquam miniſtram, & hæc procedit in ſua operatione ſibi cõmiſſa fideliter & naturaliter omnia producit vel ad gratiam, vel pœnã hominibus, vt ſunt inter hæc, morbi, caſus ſuperuenĩetes, & tandem, mors naturalis ex cauſis morbificis ſufficientibus, vel longo æuo ꝑducta, inter iſta ſunt liberationes à morbis naturaliter vel artificialiter, à caſibus ſeu infortunio: Interea Deus omnia & ſingula, tam mala, quam bona omnib. & ſingulis impẽdentia prouidet: Ipſum autẽ ſolum prouidere Dei nihil mutat, ſed curſum ſinit naturæ ordi-
natum

atum; Post tamen accedit voluntas Dei
berrima, quæ agit libere contra cursum
aturæ quasi fatalem, eumq; interrumpit
onnunquam, nunc in his, nunc in aliis
mēdando, eiq; derogando, hunc ex mor-
o, in quo naturaliter per malā victus ra-
onem vel diutius esset permansurus, vel
mnino obiturus, liberat vel absq; mediis
iraculose & per naturæ vias, vel cū me-
iis alicuius probati medici: Quod si, quę
ræuidet mala secundū naturæ ordinem
licui impendentia, non prohibeat Deus,
ed pro pœna adfligit, non tamen est au-
hor mali præuisi, per naturam adducti, li-
et nō raro & pœnā miraculose alicui im-
ittat: Inde illud, Israel perditio tua ex
e est, quia tu malum nequitię operando,
alum pœnæ tibi attrahis: Quod cum
nimaduerterint quidam sapientiores ex
thnicis, finxerunt voluptatem colliga-
am cum dolore pedissequo, quasi omnis
mmoderata voluptas, quæ est vitium lu-
uriæ, iræ vel libidinis, dolorē sibi habeat
diunctū vel superuenientem, vt est mor-
us qualiscunq;: Deinde dixerunt mor-
um fratrem mortis, quasi hæc illum
H 2 sequa-

ſequatur, ſudorem ante virtutem poſitum, & Gloriam eam ſequi, & his ſimilia: Eo quoque ſpectat in ſacris illud: Non eſt malum in ciuitate, quod nõ fecit Dominus, nempe pœnæ, vel per naturam miniſtram id inducendo, vel miraculoſe abſque mediis naturalibus.

Vnde autem ſit malum nequitiæ vel actionis hominum, nempe vitium, ſeu enormitas contra legem Dei commiſſa, inde apparet, nempe ex corrupta hominis natura & peruerſa voluntate, quæ etiam poſt lapſum libere agit in terrenis, non autem in cœleſtibus: Vt enim in motu brachii æger admodum imbecillis, nõ poteſt ſuis viribus brachium ad ſuperiora eleuare, at verſus inferiora facile, quo brachium labitur ſuo pondere, ſic homo ad terrena: quæ deorſum tendunt, & vitioſa ſunt, peccatis inquinata, ſua ſponte & natura deprauata ruit, abſque Dei peculiari inſtinctu, ſed vis, quæ hominem ita in vitia & peccata immerſum releuare in altum, verſus Deum & obedientiam erga eum, imo ad vita æternam, in quam peccatores non intrant, debeat, non eſt in

ipſo

ipſo homine, ſed in gratuita misericordia Dei: qui miſeretur eius, cuius vult, neminem tamen excludens à gratia ſua, qui libera ſua voluntate in terrenis non abutitur, ſed regit quantum poteſt ſub dictamine veræ rationis, orat & laborat, hoc eſt, functione ſua legitima fruitur, naturæ cætera & ſupra hanc, Deo committens: Ex his patet, quid de dicta quæſtione difficilima ſentiendum ſit illis, qui maieſtatẽ diuinam, eiuſque arcaniſſima Iura & Myſteria ipſi reſeruata non perſcrutari, aut anguſtis ſui cerebri cancellis comprehendere præſumunt, ſed in ſpe & fide, amore & reuerentia erga eum perſiſtunt: Quæ præter hæc ſunt Theologica, hic vt non profitemur, ſic nec tractamus.



Cap. XII.

Quo remediorum genere vtantur, quod eſſe non niſi licitum & naturale, probata cauſa, aſſeritur.

DE Hiskia rege Iudæ memorabile ex
tat exemplum in ſacris, quod metan
mortis à natura & malitia morbi ei tu
impendentem, peſte decumbẽs, ex diu
no nutu & clementia, Eſaia propheta me
dicante & ficus coctas buboni peſtifer
& lethali ad maturandum & diſcutier
dum imponẽte, aliquot annorum ſpaci
trãſiuerit & ſuperauerit, vnde ante dict
probari poſſunt, nempe Deũ prȩiudica
poſſe, naturæ (veluti princeps ſummu
ſuo commiſſario) miraculoſe vel natur
liter adhibitis malo inſtanti mediis: H
vtroq; genere vtitur, nempe miraculo
prædictione per prophetam, quo ſcire
quid futurum eſſet, & naturali curatio
per ficus impoſitas: Vtq; hoc eſt licitũ r
medii genus, cuius cauſa in natura no

ign

ignota eſt, ita quęritur, an etiam dicti Fratres R. C. in ſuis curationibus tam licitis & naturalibus vtantur remediis? Author illius multiuocæ Echus, nuper editæ, quæ veluti cicada Philomelę cantillanti aſtrepit, ſic ſe Fraternitati R. C. in arcanis (vt putat) accōmodat, meminit benedictionis & execrationis mirabilis, qua aliquis in ſanitate, fortuna ac omni vita benedictioni & proſperitati, aut econtra maledictioni & diris deuoueri poſſit, & quę multa alia idē author incātat & inculcat: Sed quis hæc iudicabit bona & licita, & non potius mala & illicita? Eiuſmodi inuentis, quæ hactenus anicularum quarundam fuere arcana, non ſine ſuſpicione maleficii, velle onerare magis quam honorare dictam Fraternitatem, eſt hominis, vt opinor, huic iniuriam ingerentis & valde inconſiderati: Non talibus inſiſtunt, ſed naturalibus omnino & nulli ſuperſtitioni obnoxiis, quantum animaduertere licet ex eo, quod quidam eius ordinis Wetzlarię feciſſe ſcribitur: Dolores & cruciatus acerrimos cancri exulcerati vno ſimplici, cui⁹ laudes Phanias phy-

ſicus prædicauit, optime leniuit & ſuſtu-
lit: Deinde radiculas & herbas per ne-
mora idem collegit, quas in ſacculo por-
tauit: Bryoniæ radicis vim maxime cele-
brauit, eamque pro alexipharmaco licet
amaram in delitiis habuit: Ac præterea
de occultis & admirandis viribus innu-
merorum ſimplicium eloquẽtiſſime diſ-
ſeruit, vt ipſi tum aſſiſtens vir doctus do-
leat tantum cumulum optimorum reme-
diorum cum fluuio ſermonis abundan-
tiſſimo præterfluxiſſe, nec calamo nota-
tum fuiſſe: Hæc & nonnulla alia indicia
ſatis probant, illis non niſi naturalia eſſe
remedia, nec innaturalia vlla, quibus v-
tantur ad morborum propulſationem.

An vero illa ſimplicia iuxta certas con-
ſtellationes eruenda & colligenda ſint, in
medio relinquimus: Scimus hanc eſſe o-
pinionem multorum, & inprimis illius
Barthol. Carrichteri, quondam Cæſarei
medici, qui ſimplicia præcipua & effica-
ciora, inque morbis magis probata diui-
dit iuxta quatuor triplicitates Zodiaci ſi-
gnorum, & in ſingulis facit tres ordines
ſeu gradus: Cui nouimus quoſdam dedi-
tos

tos curasse morbos etiam pertinaces, prę-sertim antiquas exulcerationes & externa mala, fœlicissime.

Non esse faces illas frustra & quasi ociosas, cœlo illatas, nempe stellas lucidiores, credimus, sed eas agere in hæc inferiora diuerso respectu, veluti in Die I. Septimanæ Philosophicæ demõstrauimus: Nec est dubium, vegetabilia, mineralia & animalia inde suas formas & occultas proprietates deriuare; verum vt hæ sunt maxima ex parte occultæ, tanquam effectus, sic superiores actiones nobis vt plurimum manent incognitæ, velut causæ: Fœlix igitur, qui hos effectus ex causis, & causas ex effectibus nouerit deducere & diiudicare: Plantas tam poli, quam soli, non saltem nomine tenus, sed iuxta virtutes illis naturaliter inditas, quoad licet, perfecte cognoscere, magna est Magiæ naturalis & diuinæ pars, & bina folia immensi illius mundani libri, in his studuisse Fratres, constat tum ex ipsorum confessione & fama, tum aliunde.

Eam vero Astrologiam & Botanicam in multis à communibus differre non dif-

fidimus: Axiomata in vtrisque dicuntur ab ipsis immobilia & certa, nulli loco aut tempori cedentia (veluti Terminus agrorum olim Deus) immutabiliter in suo valore & virtute perseuerantia.

Sunt autem talia axiomata alias adeo labilia & infirma, vt multa redarguantur loco & tempore, & innumera nostro æuo correcta sint: Omne vinum esse calidum, est axioma, quod verissimum huc vsque creditur: At si forte ex aliis locis adferatur vinum sua natura frigidum, tunc illud labasceret: Omne, quod volat, habere pennas, dicet ille, qui vespertilionem nō nouit, aut insecta non considerat: Sunt quoq; pisces volantes absq; pennis, & datur exceptio ab illa regula amplissima: Quis non credat hoc verissimum, quod quadrupes absq; volatu nō possit per aërem, vt per terrã incedere? At refellit experientia hanc credulitatẽ, cum aliis notum sit, in India esse felem, quæ expansis membranis, (nō alis) à posterioribus pedibus ad priores, per aerem eat quocunq; velit, veluti Lappones adaptatis pedibus latissimis asseribus in calcei modum su-

per

per omnes hybernas & altiſſimas niues, inſtar tipulæ ſuper aquas, currũt & venationes ferarum inſtituunt: Verum Fraternitatis axiomata in artibus & ſcientiis poſita ſtatuuntur immutabilia, & infallibilia, cum ex principiis ad finem per ea, tanquã media, omnia tendant, quod eſt ſummæ eorum perfectionis ſignum: Quod ſi ita eſt, oportet curationes illas ex ſtellis & plantis deductas, cognitis ſingularũ proprietatibus, eſſe certiſſimas, cũ axiomata earum nõ anticipent effectus debitos, ſed eos, vt veriſſimos & proprios ex cauſis ſuis educãt & mutuentur: Qui igne elementari quid pollicetur calefacere, ſiccare vel ignire, vel in fugã vertere, nõ fallitur, nec fallit, quia habet cauſam ea certo agentẽ in ſua poteſtate, ita erit apud illos, ſi alicuius morbi curationem ſuſcipiant, nõ eſt dubium, quin illum percurent, cũ habeant certa remedia in manu, & cognoſcant tum morbi naturam, tum ægri, per ſigna occultiſſima, vel etiã phyſiognomica, diagnoſtica, anãneſtica & pgnoſtica: Et hæc omnia media ſunt mere naturalia & theſaurus naturæ, dona precioſiſſima Dei & arcana ſapientioribus ad inda-

gandum relicta: Nulla ipsis Magia in vsu præsumitur, nisi naturalis, quæ est scientia secretorum naturæ, & non nisi viris piis, bonis & eruditis à Deo conceditur. De hac Origenes, tractat. 5. super Matth. vbi ait: Ars Magica non mihi videtur alicuius rei subsistentis vocabulum: Sed etsi sit, non est operis mali, nec quod haberi possit contemptui. Idem 23. Homilia super Numer. de Magia naturali loquitur, eam distinguens à Dæmoniaca, fallaci & impia, quam damnat & improbat: Apollonium Tyanæum in licita & naturali exercitatum fuisse, vt multi asserunt, sic nos non negamus: Philo Hebræus lib. de legibus ita scribit: veram Magiam, hoc est, perspectiuam scientiam, per quam opera naturæ clarius cernuntur, vt honestam expetendamque non plebei tantum, sed etiam Reges Regum maximi, præsertim Persici tam curiosi harum sunt artium, vt regnare non liceat, nisi familiariter versato cum Magis.

Nam Magia hæc est, vt alii definiunt, summa, perfecta & consummata cognitio Philosophiæ naturalis, in suis operibus

bus miraculosis adiuta à notitia intrinseca & occulta rerum virtute, quæ applicata subiecto conuenienti, parturit miracula in rerũ natura. Vnde Magi, tanquã diligentissimi naturæ exploratores, cognoscentes ea, quæ à natura præparata sunt & tempestiue actiua cum passiuis conuenienter applicantes, sępius ante statutum tempus & à natura ordinatum, producunt effectus, qui vulgo miracula iudicantur, cum sint opera naturæ, neque interueniat aliud aliquid, quam anticipatio temporis: Vt si quis rosas florere faciat mense Decembri, frondere arbores Ianuario, maturescere vuas Maio, mouere pluuias in aëre, vel tonitrua, proponere videnda animalia diuersi generis, vt docet Ioh. Baptista Porta Neapol. lib. 2. de Magia naturali, vbi infinita traduntur miraculosa in natura; Idem quoque facit Rogerius Baconus: Iulius Camillus homo fide dignus asserit ab amico suo per alembicum formatum fuisse infantem, cui vitam aliquot horarum tribuit. Res mira, si vera sit. Huic simile est, quod Cælius de Budda, Gymnosophistarum principe,

cipe, ſcribit, eum ex latere ſuo virginem
produxiſſe: Sed nos hæc, vt accepimus,
ita relinquimus.

De Magia naturali & Magis, qui Abrahę dicuntur ex concubinis nepotes fuiſſe & in prouincia Maabas, margaritarũ captura celebri conſediſſe, (quorum tres ex Oriente Bethlehemum ad adorandum Chriſtum natũ venerũt, partim prophetia, partim ſua ſcientia ductu ſtellæ) alibi in ſymbolis aureæ menſæ ſatis tractauimus: ſub Bacono lib. 10. & Albert. Magno lib. 6. De hoc Franciſ. Georg. lib. de Harmonia mundi teſtatur, eũ conflaſſe caput aheneum, q vocem diſtinctis & intelligibilibus verbis protulerit, veluti loco citato de Bacono narrauimus, eum tale quid conatum fuiſſe, vt vulgus Anglicanũ refert. Verum cum huius ſcientiæ, vt & reliquis, abuſus accedit, nõ multũ abeſt, quin in illicitã negromantiam, ad aliã eiuſmodi magiæ ſpeciem degeneret, q̃ fugienda ſit & deteſtãda, magis, q̃ amplectenda aut exercenda: Cumque magiæ nomen hinc male audiat, alio nomine cõuenientiore hanc ſcientiam dignandã putamus: Non
ita-

itaq; sunt Magi dicti Fratres, sed philosophi, non inexperti medici, sed longo rerum medicinalium vsu exercitatissimi, quorum Remedia non solum sunt licita, sed Manus Christi potentissimę & diuinæ: Et sic eorum legem tam dignitate, quam ordine primam satis euoluimus, in reliquis breuiores futuri.

CAP. XIII.

Secunda lex Fraternitatis R. C. quod sit de habitu peregre ituris mutando ex necessitate & absque præiudicio alterius.

NOn pauci capitib. his de prima Fraternitatis R.C. lege huc vsq; se extédentibus perlustratis, veluti est plus Momorum hoc æuo, q̃ æstu muscarum, forte dicent, me culici Herculeos adaptare cothurnos, sed iis responsum velim, ex maioribus esse mundi tam magni, quam parui, (qui est homo) negotiis, quæ strictim saltem & per summa cacumina rerum percurrimus, non pro dignitate & precio suo consideramus: Ita de breuitate

potius huiusmodi scriptionis excusandi, quam copia accusandi videmur: Magno nobis ore sonandum foret, si talia & tanta pro sua magnitudine amplificare vellemus & merito celebrare: Sed de iis forsitan tractatu, DE VERO INVENTO, vberius dicendi occasionẽ habebimus: Nunc ad secundam Aureolæ Themidos legem enucleandam aduertemus; Quæ est:

Dictos Fratres in sua peregrinatione nullo vestium habitui certo & definito astringi, sed quemque se gentium, apud quas viuit, moribus & vestitui accommodare posse.

Hæc positio est, sine qua nõ possit prior in actum deduci, ita vt id fiat cum emolumento proximi & propria securitate.

Vt enim auis, etiamsi taceat, ex colore pennarum, vna ab alia distinguitur & proditur, sic quoque quilibet ex suo habitu non mutato facile à quocunque alio dignoscitur: Plurimos in potestatem hostium vestitus agnitus redegit, non pau-

eos idem mutatus ex eadem liberauit: Otho II. Imperator ad Basentellum victus in Calabria scapha delatus ad mare inter fugiendum à Piratis captus est, at non agnitus ob personę dissimulationem in vestitu & ob Graiæ linguæ cognitionem, magna numerata pecunia facile ab hostibus se redemit.

Econtra Richardus Angliæ rex è Terra sancta redux, nescio quo malo consilio cum classis eius mare mediterraneum domum versus ingrederetur, re non ita bene in Terra sancta gesta, ideoq; odium omnium fere Christiani orbis principum meritus, præcipue Ducis Austriæ, per mare Adriaticum venit in huius ditionē, sed agnitus, grata præda inimico extitit, nec prius dimissus, quam magnam pecuniæ summam illi, à quo detineretur, persoluisset: Hic habitus prodidit, ibi celauit in casu personas.

Quodque Regibus contigit magnis, longe facilius priuato alicui exitium attraheret, præsertim si prædones aliquid vtilitatis apud eiusmodi inermem olefacerent: Attritis vestibus plebei media

soli in sylua cantare possunt, nec medica-
ta pocula reformidant, à quibus cauen-
dum magnatibus: Nec vero sub vili veste
sapientia habitare pręsumitur, non in hu-
mili casa seu caula, sed in Regali aula:
Imo vulgus de sola veste externa & ha-
bitu de eo, quem cernit, iudicium sumit,
quod vtplurimum verum, at non raro
falsum est: Animus est melior pars ho-
minis, & habitat, vt hospes, in corpore:
Hoc vtitur vestitu, non ille, qui per ser-
monem videtur & auditur, & à philoso-
phiæ scientiis proprie contra iniurias
mundi munitur, vt corpus à sartoris ve-
stibus contra elementorum furias cir-
cumcingitur.

Magaretha Galliæ regina Alani Flan-
dri philosophi pulchram mentẽ in inue-
nusto corpore inclusam, eo dormiente,
osculata dicitur, cuius rei causam admi-
rantibus declarauit, quod hoc medio per
suam animã cum illius anima colloquiũ
quasi instituisset, nec basium corporis ad
eo deformis sensisset: Vtque sic optim[a]
mens in corpore Æsopico delitescer[e]
potest, hand aliter homo optimus, ment[e]

& cor[pore]

corpore,ſub viliori veſtitu: Cauſæ vero
ur quis honeſta veſte decorari debeat,
nt multiplices, quas partim in luſu ſerio
b bombyce, partim in ſymbolis aureæ
enſæ commemorauimus, hic non re-
nſendas niſi obiter: Sunt autem his
thmis metricis incluſæ:

Hunc homines decorant, quē veſtimenta decorant;
In vili veſte nemo tractatur honeſte:
Vir bene veſtitus, pro veſtibus eſſe peritus
Creditur à mille, quamuis Idiota ſit ille:
Si careat veſte, nec ſit veſtitus honeſte,
Nullius eſt laudis, quamuis ſciat omne, quod audis.

Et iura videntur ſuffragari iam dictis;
am talis prima facie, inquiũt, præſumi-
r quis eſſe, qualem veſtes eum indicāt.
em apud 15. §. ſi quis virgines. ff. de iniuriis
famoſ. libel. Speculator *de his videatur*
ius. Vnde Seneca ad vxorem Neronis:
lue te delicate, non propter te, ſed pro-
r honorem imperii: Fuit autem iſta
ppæa Sabina, Titi Olii filia, equiti Ro-
no Criſpino ante nupta, ex quo filium
iſpinum genuerat, quem impuberem
RO occidit: Poſt diuortium tamē O-
uiæ vnice dilectam eam in vxorē duxit

Nero: quam conuitiantem sibi, ictu cal-
cis, suscepta prius ex ea filia Augusta, con-
tudit: Illa Poppæa adeo delicate vixit, vt
mulas, quibus agebatur, haberet aureis
funibus subligatas, & quingentas asinas,
quæ recẽs peperissent: Eæ quotidie mul-
gebantur, vt ipsa earum lacte lauaretur
Formam enim & nitorem corporis ma-
gno studio curabat: Nam cum aliquan-
do se non satis bona forma in speculo cer-
neret, mori quam senescere malebat.

Cleopatræ Ægypti Reginæ & Lolli
Paulinæ meminit Plinius libr.9. cap.35
Hęc fuit Caii principis matrona; Medio-
crium, inquit ille, sponsalium cœna, vid
margaritis smaragdisque opertam, qu
summa quadringenties H-S. colligeba
Sed hi muliebres in vestibus luxus, omn
modum superarunt, & Senecæ regul
haud conuenerunt, qui honestatem
maiestatẽ absq; dubio, ceu Philosophu
respexit, non nimiam pompam & imm
deratam luxuriem.

Verum dicti Fratres ad virtutem, n
vitium exercendum & excolendum
diuerso seu mutabili habitu collimarun

que

uem non vilem omnino, nec delicatum
u preciosum, sed honestum & medio-
rem vsurpant, nec suspiciendum, nec
espiciendum vulgo: Non enim amant
rdes telasve aranearum, nec laquearia
aurata, sed munditiem: Omnium ho-
rum sunt homines, habentque causas
auissimas, cur Prothei, Morphei vel
ertumni vulgo occurrāt, ne tales expe-
itur mente, quales ipsi sunt veste: Mul-
enim est mel in ore, fel in corde, laus in
tis, fraus in factis.

Pluribus modis homines decipi pos-
nt, siue id fiat per fallaciam æquiuoca-
onis, siue amphibologiæ, accidentis,
nsequentis, compositionis, seu diuisio-
s aut figuræ dictionis: De his late per
h. Andr. *in reg. sine culpa. 11. col. de reg. iu-
in 6. in Mer.*

Sunt igitur cauti Fratres, ne ignomi-
osum simul & detrimentosum illis sit,
r ignorantiam decipi: *l. 2. §. cum ser. ver.
pe est enim. ff. de orig. iur.* De iure quoq;
tum est fraudem fraude repelli à quo-
nque, nisi in falsi crimen incurratur,
ff. sing. *in c. cupientes. in verb. malignan-*

tium. de elect. lib. 6. & in c. Dominus noster. 2. q. 2. l. cum pater. ff. de leg. 2.

Sed tale quid non intenditur per Fra-tres, qui sunt simplices, vt columbæ; prudentes vt serpentes, iuxta Saluato- nostri admonitionem: Dolum non cog- tant, sed cauent, nolunt decipere nec d- cipi: Vestem mutant, ne alii mente Honorem ex hac appetunt, non ex il- imo vix appetunt, quia incogniti non ne maneăt & oblatum Fraternitatis g- tia non agnoscant, at recusent: vt viri b- ni vero, admittunt: Nulla est hic pr- sumptio doli.

Licet enim non solum vestem, sed nomen variare in diuersis locis, cum fiat absque præiudicio aut iniuria ali- ius hominis, sed cum bono id agen- Nec vero signum mutat signatum, accidens substantiam tollit: Sunt no- na notæ & vestimenta velamenta ind- duorum, sine quibus horum nuditas, i- rum obscuritas permaneret: Philosop- antiquis, veluti & sacerdotibus Ægyp- linea & alba fuit vestis, qua illi ab a- sunt agniti, veluti Pythagoras, eius-

se-

sectatores & Apollonius eadem vsi sunt, tum ob mundiciem corporis, tum vt mentis candorem eius candore indicarent: Istum illi habitum nunquam mutarunt, nulla existente causa, vti nec monachi suo quiq; vestitu gaudentes: Sunt multæ volucres quibus natura hoc priuilegium indulsit, vt vocem mutent cum pennis hyeme, vt patet in Coccyge, ne scilicet male exciperentur ab aliis, quibus ingratæ forent.

Idem in non paucis contingit animalibus: Liuonia & Lithuania, cæteræque istæ Sarmaticæ regiones Brumali tempore lepores albos, æstiuo eosdem communis coloris habent: Chamæleon mutat colorem pro colore rei, cui appropinquatur, & sic sæpe venantium insidias effugit & latet: Ita pisces nonnulli, Polypus, Sepia & similes euadunt: Formicæ & pleraque insecta ex reptilibus fiunt volatilia, nec agnoscuntur, qualia fuerint prius.

Quod itaque omnis natura docet, ratio suadet, ius admittit, mos hominum requirit, rei necessitas postulat,

nempe vt Fratres R. C. non certo alicui vestis generi sint adstricti, quidni instituto & lege introducerent, vsu probarent & actu exprimerent?

CAP. XIV.

Tertia lex est, quod quotannis ad certum diem & locum conuenire debeant, vt nimirum fiat animorum coniunctio, inque rebus arcanis collatio.

OMnis ordo equestris vel monachicus habet suas Regulas multis in eadem societate viuentibus ab Authore eius primo præscriptas, inter quas hæc semper reperitur, quod singuli commanere debeant, aut si hoc non licet, certo tempore & loco conuenire: Nisi enim aliquando cœtus cogerentur & semper dispersi essent, nulla animorum & consiliorum fieret collatio, nec vnus alteri doctrina, pietate & virtute præluceret aut exem-

exemplum præberet: Multæ amicitię absentia perpetua amicorum diſſolutæ ſunt & obliuione prorſus deletæ: Quid enim amicus prodeſt alteri, cui nunquam adeſt? Quid frater fratri, quo carere cogitur in neceſſitate? Literis quidem inter abſentes fieri colloquium poteſt, & abſentiæ mutuæ remedium, at neſcio quid ſermo loquentis, oculi, aures, manus amici peculiaris efficaciæ habeant, prę mutis & ſurdis chartis, quę nec reſponſum dant quærenti, nec ſe interdum ſatis explicāt, vt viua vox vtrinque deſideretur.

Hac de cauſa voluerunt quoque Fratres R. C. vt ad minimum ſemel in anno omnes vno in loco conuenirent, ne ſemper diſperſi ſui inſtituti immemores euaderent: Quæ lex vt tertia eſt in ſerie, ſic dignitate; qua Synodus vere Pythagorica quotannis indicitur: Conueniunt enim in ea philoſophi antiquis neutiquā cedentes doctrina, rerum naturalium & admirabilium experientia, virtute & morum modeſtia, qui non de numero filiorum Niobes aut ſimili materia differentes diem terunt, ſed abdita naturę myſte-

ria, automata, Mathematica, Aſtronomica & Aſtrologica in medium diſcutienda proferunt: Pythagoras diſcipulos ſuos monebat, vt domum reuerſi quotidie hęc apud ſe voluerent:

Πῆ παρέβην, τί δ' ἔρεξα, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη.

Quo ſum progreſſus? quid geſtũ in tempore? quid nõ?

Eundem ad modum Fratres R.C. domum reuerſi, ſeu ad locum notum, ruminant quid boni egerint, noui audierint, miri viderint: Quid in artibus & ſcientiis didicerint, quid cum axiomatis earum conuenire, quid non, obſeruarint: Libris inſcribitur, quicquid memoria dignum & ſcitu neceſſarium, vt ad ſucceſſores idem perueniat; quod ab illis ratione indagatum, vel experientia probatum eſt: Sic cumulus doctrinæ accreſcit, & indiuidua plurima faciunt ſpeciem, hoc eſt, ſingulorum experimenta dant axiomata & vniuerſalia, quæ deinde Intellectus contemplatur amplius voluendo & reuoluendo, donec indubitata & certiſſima appareant.

Hæc Schola ſeu Synodus non cedit Lycæo Ariſtotelis, & niſi fallimur, illud

quo-

quoque longe ſuperat: Ibi enim ambulantes philoſophi (hinc Peripathetici dicti) diſſerebant in vtramq; partem de quacunq; re propoſita, nimirum de naturalibus, moralibus & Metaphyſicis, nec aliquid certi tandem concludebant in principiis aut finibus, ſemper hęrentes, rixantes & aliis contradicentes, Exempli gratia, quid ſit anima hominis an Actus primus, an quid aliud, an ἐνδελέχια, an ἐντελέχια, an ſit ex traduce, an vero ab extrinſecus in corpus mittatur, & huiuſmodi quæſtionum aliquot Myriades: Raro conueniunt in vno vero, cui non contradicatur ab aliis: Vt fluctus fluctum pellit in vaſto Oceano, ſic apud illos opinio opinionem in philoſophia.

Inuentum eſt ad hoc inſtrumentum, quo in vtramque partem diſputandi fit profeſſio: Verba ſunt, quæ à multis proferuntur, rebus inania, nec vnquã ad probam ſeu effectum perueniũt: Diſputent, quoad lubet, de metallorũ natura, ortu, & tranſmutandi vnius in aliud poſſibilitate vel impoſſibilitate; Diſputent, ꝙ per Logicã veritas ignota ante, poſſit fieri notior

&

& quis fieri ex ea doctior & rerum abditarum peritior: Mihi nihil eorum persuadebunt: Si nihil eorum, quæ tanto zelo propugnantur, possit in actum perduci, ita disputare est saltem ludus ingenii & iactantia: Hic Rhodus, hic salta.

Quidam philosophus audiens alios de virtute, quid sit, disputantes, & quando, inquit, hi tandem incipient virtute vti? Si quis Physicus sit optimus, vt multi se venditant, cur non disputationibus vanis omissis, Physicum opus, hoc est, Tincturã naturalem perficit? At hanc negat & somnium esse putat, nulla alia causa, quam vt celet ruborem suæ ignorantiæ, & velum obtendat imperitiæ: Alii vero vicissim eius Physicam negabunt, quæ multa in meris verbis, nulla in rebus ipsis conueniẽtia fingit, disputat & profert: Quomodo Eques dici poterit, qui nunquam equitauit, quomodo faber, qui nihil fabricauit, quomodo Philosophus, qui philosophiam nullo experimento reali, nisi verbotenus, veram declarauit.

Sed obiicient, aliam philosophiæ partem esse mere contemplatiuam, ad quam

Physica omnis, Mathematica & Metaphysica referuntur, aliam actiuam, ad quam Ethica & Politica: Plato ægre tulit Mathesin ab Eudoxo & aliis ad sensibilia subiecta translatã esse, (vtpote Arithmeticam ad proportiones numerorum inueniendas in communi vita, Musicam ad cantiones & sonos formandos harmonicos, Geometriam ad corporum capacitatem, spaciorum, terræque interualla metienda & inuenienda, ad automata & mechanica efficienda, & sic de aliis) at ille forte magis inuidia, quã ratione motus fuit: Quid enim nuda speculatio horum tantorum Dei Magnalium profuisset humano generi? An melius est, cogitare bonum, quã dicere, & dicere, quam facere? Idem de Physica intelligendum, cuius sola contemplatio non est vera, nec vtilis: Quomodo enim vera esse potest in causis, quæ nunquam probatur opere vel effectu? Fuere tamen philosophi, vt ante relatum, qui non minus Physicam seu naturæ scientiam actu, quam Mathesin exercuerunt, quales Magi apud Persas, Gymnosophistæ apud Æthiopes,

Brach-

Brachmanę apud Indos ſacerdotes apud Ægyptios fuere.

Eiuſmodi & Fratres R. C. habentur apud Germanos: Horum conuentus non eſt abſq; fructu veritatis: Habent Eccleſiaſtici ſua concilia, & ſeculares comitia, quibus de bono vel Eccleſiæ, vel Reipub. agitur, ita & hi conuocantur, vt veritati teſtimonium perhibeant, naturæ dominæ homagium præſtent, aut potius vt Deo omnipotenti hymnos canant, gratias agant, pro naturæ bonis & veritatis donis.

Qui Feudi Regalia ſolenniter ſibi confirmari negligunt à ſuperiori principe, eo priuari poſſunt, tanquam ſuperbi & ingrati: Sic qui accepto Naturæ feudo non compareret ad ſummi largitoris voluntatem & nutum loco & tempore debitis, indignum ſe eo munere declararet, & qui priuari deberet, pœniſque ſubiici.

Verum vt nulla Regula tam firma eſt, quin exceptionem admittat, ita & huic legi ea additur, nempe vt abſens ſuæ abſentiæ cauſas exponat per alios vel per literas: Infirmus enim excuſatur quocunque

que iure vt ab ignorantia supina, hoc est, ab eo, quod facile potuisset scire, sic quoque ob absentiam, *c. Apostolicæ. de cler. excomm. c. proposuisti. 82. distin.* Bartol. *in l. is potest. ff. de acquir. hæred.* Et regulare est, quod quis per se potest, hoc ipsum & per alium facere potest. Salic. *in l. non ideo minus. C. de accusa. & inscript.* Impedimenta autem alleganda sunt in scriptione, Bart. *in l. diuus. 15. §. idem in filium. 5. ff. ad leg. Corn. de fals.*

Quis vero sit locus, & quod tempus eorum conuentus, determinari nequit: Maneant illæ circumstantiæ aliis quorũ nil interest, adhuc obscuræ, quamuis de loco satis per ænigmata, vt decet, in Symbolis aureæ Mensæ lib. 6. disseruerimus, quibus forte rem tetigimus, aut si aberrauimus à veritate loci, non tamen à reipsa longe abfuimus.

Vidi aliquando Olympicas domus, nõ procul à fluuiolo & ciuitate nota, quas S. Spiritus vocari imaginamur: Helicon est, de quo loquor, aut biceps Parnassus, in quo equus Pegasus fontem aperuit perennis aquę adhuc stillantẽ, in quo Diana se lauat, cui Venus vt pedissequa, & Sa-

tur-

turnus vt anteambulo, coniunguntur: Intelligenti nimium, inexperto minimum hoc erit dictum. Tempus, Brumale potius arbitramur, quam æstiuum, quia illud magis, quam hoc, aptum peregrinationi multi putent, quod tamen in dubio relinquimus & aliis indagandum, si qui forte curiosiores extiterint, propinamus.

Cap. XV.

Quarta lex est de persona in locum cuiuslibet idonea eligenda, ad Fraternitatis continuationem inuenta, cum indiuidua perdurare nequeant.

CVm sublunaris huius regionis Indiuidua perpetuæ sint vicissitudini obnoxia, vt non immerito ille apud comicum seruus dixerit: Heus tu, omnium rerum vicissitudo est, ac nullum eorum, præsertim in hominibus, admodum diu perduret, sed quodlibet transeat, mutetur & per-

pereat, hinc propagatio ſeu generatio illis pro Remedio à creatore conceſſa & indulta eſt, quo illud, quod non poſſet idem in numero, ſaltem in ſpecie permaneret: Hoc eſt mundi, alias perituri, Alexipharmacum, quo quodlibet incitatur ad ſui multiplicationem, tam terræ immerſa & infixa, vt ſunt mineralia & vegetabilia, quam animalia, & inter hæc nobiliſſima creatura, homo: De cuius vitę breuitate multi philoſophi conqueſti ſunt, vt Hippocrates in aphoriſmorum initio, artem longam, vitam breuem, & Theophraſtus ille Ariſtotelicus cornici longiorem, quàm homini, datam vitam, deplorat, inq; eo naturam, nouercam huic, illique matrem fuiſſe, accuſat.

Cum quoque Fraternitatis indiuidua ſingula ei naturæ neceſſitati & citationi peremptoriæ ſint ſubiecta, ita vt eſſe in terris apud viuos deſinant, inque locum omnibus mortalibus communẽ abeant, non iniuria ab eorum Legiſlatore & hæc lex promulgata eſt, vt quiſque ſibi proſpiceret de idoneo & digno ſucceſſore, qui eius defuncti vicem & locum ſuppleret:

In qua philoſophica & libera electione, alibi ſcribunt, nihil valere ius naturæ, aut cognatorum ſucceſſionem, imo neç ipſorum filiorum aut fratrum, ſed ſolam virtutem, eruditionem, taciturnitatem, pietatem & alias dotes huc ſpectantes.

Apud Ægyptios filii in patrum vt hæreditatem, ſic functiones & artificia antiquitus ſuccedebant: Inde figuli filius figulinam & fabri fabrilem artem ex lege diſcebant: Reges vero ex ſacerdotibus, ſacerdotes ex philoſophis eligebantur, & philoſophi erãt philoſophorum filii, ſed in ſcientiis hic pater & filii erant valde impares: Bona fortunæ tranſmitti poſſunt ad hæredes, non ſemper animi: præſertim huiuſmodi, qualia Fraternitati ſunt propria: Qui hæc fauore alterius rei, quam virtutis, vel precio, vel prece concedit, præiudicat ſummo Iudici & Datori, & Talentum ſuum male collocat: Feudã abalienari nequit abſq; conſenſu Domini, multo minus ad inimicos ſeu hoſtes Domini transferri: Quid dicendum de hoc DEI Dono, alicui mutuo dato, non proprietario? Philoſophi volunt id mu-
neri

is nemini cõcedendum,niſi cui Deus
conferat, vel illuminet intellectum,
pprehendat obſcure dicta & ęnigma-
apientũ: Alii tradunt,nulli fidendum,
abſumpto ſalis modio cum eo in ſo-
tate & bene probato, veraci, docto, fi-
,quales perpauci inueniuntur: Ami-
as nonnulli dicunt, nõ comparandas
n equis,qui quo iuniores, eo gratiores
entur,ſed cum vino & auro, quorum
d antiquius,melius cenſetur, cæteris
bus. Ita quoq; iudicãdum erit de hac
anda ſocietate, in quam illi neminem
piunt,niſi probatum virtutibus,vt au-
i ignibus: Antiquitus Lampadopho-
certamina ſeu feſta Athenis inſtitue-
tur in honorem Promethei, Vulcani
Mineruæ hoc modo: Quidam faces in-
ſas currentes deferebant in vrbem, &
s fax extinguebatur, ſequenti victo-
oncedebat, quiq; ardentẽ ad metam
lerat, victor erat; hinc illud, Lampa-
n curſu alicui tradere: Qua feſtiuitate
l aliud adumbratũ eſt, niſi arcanorũ
rundã propagatio, cum fax extincta,
cedentis mortẽ denotet, & ſucceſſio

alterius cum ardente face, vitam ſubſe-
quentis: Dii autem illi, qui aram commu-
nem habuerunt, ſpectant ad arcana Chy-
mica, quaſi ea per manus vni ab alio tra-
dantur & in mentem inſtillentur.

Hæc eſt ſcientia ſcientiarum, quæ ex
Iouis cerebro prognata fingitur, ipſa Pal-
las ſeu Minerua, Sapientia, diuinæ luci
radius, qui ſpargit igniculos in mẽtes hu-
manas, eaſq; illuminat, vt videre poſſint
quid verum, quid non ſit in rebus natura-
libus: Hæc eſt intellectus ſoboles, cuiu
propagatio ęque neceſſaria eſt, ac corpo
ris: Corpus non cum quocunq; conſp
rat corpore, ita nec animus cum anim
Probandi ſunt ſpiritus & ingenia hom
num, ne gladius in furioſi manũ aliqua
do incidat, & paſſim damna fiant: Res
nim per ſe bona, peſſima fit à malo poſſ
ſore, vt vinum ſalubre & clarum in va
impuro & male olente inficitur in colo
& guſtu: Archimedes gloriatus eſt, ſi v
ſaltem pedem in alio loco poſſet firma
ſe ſuis artibus mechanicis totum hu
terrarum orbem moturum eſſe: Quid
maleuoli conarentur, ſi ad tanta ſecre

eruenirent, eorumq; poteſtatem in ſua
anu haberent? Forte idem, quod ille,
on arte, ſed Marte, non ingenio, ſed do-
l: Humanus appetitus in eiuſmodi indo-
itis non patitur cancellos aut repagula,
d libere vagatur in immenſum.

Verum quæritur, cur electionem noui
ratris initiandi ſuis rebus inſtituant, &
on potius omnem illam ſcientiã, quam
ſrete habent, omnino intercidere ſi-
nt, aut, ſi hoc nolint (vt & indignum eſt
ctu) cur publicis typis non commit-
nt, vt ab omnibus haberi, legi & intelli-
poſſit, aut, ſi neque hoc, cur non ſinguli
ures adoptent, & Fraternitatem ſic am-
iſſimã faciant ſeu in centenas fere per-
nas extendant? His ſatisfaciendum re-
onſo autumamus, ne nodum fruſtra in
rpo quæſiſſe videantur.

Ad primum, cur eligant paucos & ar-
na ſua perire nolint, dicendum, quod
iuſque cauſam habeant grauiſſimam;
guſtus Cæſar prohibuit Æneida Ma-
is defuncti ex teſtamento huius man-
dam flammis, ne periret laus Romani
minis, cui ille Poeta multum adfinxit,

fabulas pro veritate ſeminans per orbem, veluti Homerus fecit apud Græcos: A non multo magis Fratres R. C. & h rum Anteſignanus ſeu Author, ſua a cana, naturæ opera, DEI Magnalia, ex omni hominum memoria excidar prohiberent? Abſit, vt tantum ne committatur & in Chaos redeant ta artificia, in obliuionem tam pulchra, cunda & vtiliſſima inuenta: Non in Romani, ſed Diuini nominis gloria eſt, nullis fabulis, ſed veris inuentis p paganda.

Antiquorum plurima arcana deſide mus, quæ partim ſcripta, per incẽdia, p tim nõ ſcripta, ex mente & vſu homin perierunt; cui interitui vt remedium hibeatur, vtile eſt, per paucos myſt nunc nota conſeruari & aliis miniſtr Sic artes ante diluuium binis colum inſcriptæ leguntur, ne aquis vel fla mis delerentur, poſt apud Iſraelitas aliqui tradunt, Cabala ſeu rerum ſe tarum ſcientia, ore tenus alteri cre da, inoleuit, cuius adhuc vmbram tius, quam quid ſolidi Iudæorum

bini profitentur: Apud Ethnicos varia fuere collegia & ſocietates, quibus non niſi caſtæ & immaculatæ vitæ tam fœminæ, quam viri initiabantur, vt ſunt Eleuſinia, Samothracia, Dionyſiaca, ſeu Trieterica, & multa alia, quorum alibi meminimus; ne quid de Ægyptiorum ſacerdotum, Brachmanum, Magorum, Gymnoſophiſtarum, Pythagoreorum, Democritiorum & his ſimilium congregationibus philoſophicis quid dicamus: Non in has quilibet ex vulgo receptus fuit, ſed optimus ex doctiſſimis, vel doctiſſimus ex optimis: Perpauci itaque & ſelectiores non immerito quoq; à Fraternitate R. C. ſibi aſſociantur.

Ad alterum quæſitum, cur ſua arcana non diuulgent per publicam impreſſionem librorum, referendum, id inconſideratum & Mida dignum iudicium eſſe:

Sunt multa in Republic. plurima in diuinis, non pauca in natura, quæ in vulgum ſpargi non conuenit; ideoque non inprimi ea debent, nec permittuntur, ne ſcilicet confuſio in mundo

contingat: De Reipub. arcanis quidam iam pridem in genere ſcripſit: De diuinis nemo auſit, quamuis Dei arcana propalanda, Principum magnorum celanda dicantur: Alexander Magnus in Ægypto agens à Leone ſacerdote cognouit, Deos ibi & tum per orbem cultos, vtpote Iouem, Dionyſium, Martem & alios maiorum gentium, vt vocãt, non eſſe veros, ſed allegoricos, & homines fuiſſe, quod arcanum ille ad Olympiadem matrem perſcripſit, mandans vt lectam epiſtolam Vulcano conſecraret, ne ſcilicet inde omnium conturbatio hominum, eos pro diis colentium fieret: Hoc itaque publicari inconſultum fuit: Ita in natura occultum apud philoſophos huiuſce ordinis inuenitur, quod apertum non minus multorum confuſioni anſam præberet: Neque id inuulgari vlla ratione debet: Ad tertium, dico, arcani naturam nõ pati, vt ſimul arcanum maneat & pluribus cõmunicetur: Nam etſi multi forte ſint, qui ſatis idonei forẽt ad id recipiendum, tamen inter illos pauci, qui apud ſeſe ſolos conſeruarent: Quis enim Pythagoræ per

per quinquennale ſilentium & vocis cō-preſſionem, doctrinam magis appeteret, quam locutionis conſuetudinem ſeruaret? Quis ſeruituti linguam, vt mentem ſcientiarum libertati addiceret? Nemo computreſcere verbum in ore ſuo sineret, niſi forte pauciſſimi, exemplo illius philoſophi, cui graueolentia oris obiecta cum eſſet, Nil mirum, inquit, quia multa in eo arcana computruerunt: Ad pauciores ergo ea ſecreta ſpectant, ne multi inueniantur publici ſecretarii & plures arcanorum aucupes.

Cur vero ſors non tangat omnes, qui id exoptant, non eſt forte in eorum culpa, ſed decimationis, qua ex bonis optimi, ex doctis doctiſſimi eliguntur: In magnorum principum aulis non ſemper ad gubernacula & officia ſedent omni carentes vitio, ſed quales placuere Dominis, præ iis, qui cogniti fuerunt, non præ incognitis ſimul, illorum enim nulla fuit cupido, nec ex iis electio; licet forte non minus virtuti aut doctrinæ ſint dediti, quam alii: Inde nec cauſa eſt, cur ignoti obſtrepāt ignotis, ac illis ſuam oſtentent

dignitatem, de quibus ſuo loco, nempe in Silentio poſt clamores tractatu dicto, ſatis diſſeruimus, vnde quemlibet ad Silentium illud ea de cauſa ablegamus.

Cap. XVI.

Quinta lex, quod literæ R. C. Fraternitati debeant vſurpari pro Symbolo characteriſtico ſeu ſigillo, quo agnoſcatur.

APud Ægyptios duplices fuiſſe literarum notas accepimus, ſacras, Hieroglyphicas à Græcis dictas, quia ſacris ſolis adhiberentur rebus, & ſacerdotibus cognitæ fuerint, non vulgo, & prophanas, quæ cuicunque per doctrinam innotuerint: Sacræ per animalium, vegetabilium aut mathematicas fiebant figuras, marmoribus inſculptas, velut adhuc Romæ ad Portam populi ſeu S. Mariam de Niue, & Maiorem, alibique ex Ægypto

pto Pyramides eo nauibus integræ apportatæ Augusti auspiciis, apparent, vndique istis literis refertæ, quarum sculptura interius tendit, nec protuberat, vnde maxime est durabilis: Prophanæ per ductus linearum, instar Græcarum aut Hebræarum constabant; Vtrasque Sacerdotes ibi tenuerunt, his ad captum vulgi, illis ad sapientum vsi: Hieroglypha Grammata enim fuere sapientibus veluti Symbola & Characteres sibi cognitæ sapientiæ, quam non licebat alteri aperire vel exponere sub iuramento in-initiationis Isidi, cæterisque diis, aut potius summo Numini præstito.

In his se exercebant iuniores philosophi & studebant, vt ad intellectum eorum peruenirent, suo ingenio & Marte, & omnes his sibi mutuo communicabant consilia: Hic Phœnicem (qui proprius est Chymiæ, nec alio spectat vt alibi in Noctuæ præfatione demonstrauimus & in Symbolis) soli dicatum animal habuerunt, eumq; omnibus aliis notis sacris æquiualere tradit Orus Apollo: Eundem ad modum moderni in Germania

phi-

philoſophi, Fratres R. C. dicti, diuerſas habent literas, quibus vtuntur, quo ad ſignificationem mentis erga notos, celationem contra alios.

Symbolum vero & characteriſmus eorum mutuæ agnitionis ipſis à primo authore præſcriptus eſt in duabus literarum notis, nempe R. C. eaque eſt quinta Fraternitatis lex & poſitio: idque ideo, ne omnino Anonymi eſſent, cum nomen Authoris latere ſit neceſſarium tum pro cõtinuatione ſocietatis, tum tutela: Interim fruerentur his binis adminiculis, quę pro cuiuſque captu interpretationem admitterent. Nec enim diu abfuit, cum primũ hæc Fraternitas per aliquod ſcriptum emanauit, quin mox interpres illorum ſe obtulerit, qui ea Roſeam crucem ſignificare coniecerit, cum R. roſas & C. crucem deſignent: In qua opinione hucuſq; res permanſit, licet ipſi teſtentur fratres in poſterioribus ſcriptis, ſe ita perperam vocitari, ſed R. C. denotare nomen ſui primi Authoris ſymbolice: Si mens hominis vnius, alterius mentem introſpiceret & ideam ſeu ſpeciem ſenſibilem & intelli-

telligibilem in ea formatã videret, non opus esset verbis aut scriptis humano generi: At quia illud homini negatum in hac corporea subsistentia & meris Intelligentiis absque dubio indultum sit, rationis concepta per orationis & scriptionis symbola alteri alteris explicamus: Hæ itaque literæ magnæ sunt efficaciæ, cum complectantur totam societatem inque ordine retineant, ne curiosioribus detur occasio ex integris nominibus deducere omina, vel ex familiis loca, ex locis personas, ex personis rerum arcana.

Habent ordines equestres quique sua insignia, Rhodii seu Maltenses duplicis crucis, Burgundiaci Velleris aurei, S. Georgii fasciæ tibialis (olim de crure mulieris in chorea delapsæ) & alii alia: Hi vero fratres, qui non minus Deo militant bonam militiam, habent R.C. pro suo sigillo, quod non auro ostentant, sed in papyro: Melitenses scimus equites magno pietatis zelo elegisse imaginem geminæ crucis in memoriam Christi saluatoris, qui in ea pependerat, accipientes signum pro signato, vel continens pro contento:

Idem

Idē de Velleris aurei signaculo statuendū est ꝙ licet prima origine magis sit allegoricum & Chymicum, q̃ historicum, vt in Hieroglyph. lib. 2. satis demonstrauimus, tamen ad agnū Dei tropice referri potest in pietatis exercitiū: An tale quid de periscelide seu tibiali muliebris cruris vinculo intelligi possit, nescio, an non magis ad partē spectet, cui illigatū fuit, corporis, q̃ mentis, non est meū iudicare: Veritas hic loquat᷑ nuda & S. Georg. (Vtopiensis) sit arbiter. Ita nō est dubiū, has quoq; literas R. C. reuera aliquid denotare, ad ꝙ respiciāt Fratres, quoties eo vtuntur symbolo: Augur nō sum, neq; vates, licet laurū aliquando momorderim & in Parnassi vmbra paucas horulas dormierim, nihilominus, nisi fallor, eorū characterum R. C. expositionē in ænigmatib. lib. 6. Symbolorū aureę Mensę, satis euolui: R. n. Pegasum & C. Iuliū significat, si ad mentē non sonū verbi respiciatur: Sit tibi clauis, ARCANORVM COGNITIO: En dabo Arcã: d. wmml. zii. w. sgqqhka. x. Si potes, aperi: Nec pluribus, nec clariorib. opus est: An nō hic est vnguiculus Rosei illius Leonis aut gutta Pegaseæ Hippocrenes? Nec

propterea Isidis aut Eleusi sacra aperui: Nullus est, q me intelligit, nisi sit valde in rebus & verbis expertus, cui parũ dixi nõ omne, genus, nõ speciẽ: Sunt q ex nominũ propriorũ literis conformẽt Anagrãmata, ꝓ bono nominis omine: At speculari, quid in R. C. sit ominis, operæ preciũ iudicauero: Rosea Crux, γλυκύπικρον qd denotat, Ha ha, eheu, cachinũ & querelam, dulce-amarũ, gaudiũ & mœrorẽ: Nam in rosis viuere & sub cruce sunt cõtraria, humanæ vitæ nõ inconueniens Idea: Homo in hunc mundũ, dum nascitur, (dolore ex mutatione loci & vena vmbilicali, qua in vtero nutrit⁹ fuit, rescisa exorto) illachrymatur, & nõ ridet, vt Plin. ait, ante 60. diẽ: quo intermedio tempore multũ lachrymarũ, eiulatus, & querimoniæ effundit, cui gaudium, quo per annũ fruitur integrũ, neutiq̃ par est: Plus itaq; crucis, quã Rosarum tum sentit, vt & tota sua vita: Sed ego potius R. pro substantiali & C. pro adiecta parte habuero, contra quam fit in Roseæ Crucis, vocabulis.

Cæsaribus Germaniæ antiquis, Carolo Magno & eius successoribus, in vsu

fuit,

fuit, ſigna manualia vſurpare & in ſub-ſcriptionibus ſuis adpingere, veluti & Notariis, aliiſque adhuc conſuetum eſt; Tale quid, huic Fraternitati conueniens, ponere, nec deficiens, nec ſuperfluum, poſſibile foret, & propter ingenioſiores, quibus hæc ſcribimus, ſit eiuſmodi Ana-grammaticum:



In hoc enim R. C. ſunt acro-ſtichis, cætera dabit indaga-tio: Nemo autem adeo erit p̃poſterus, vt exiſtimet huic figuræ literali ineſſe ſingularem efficaciam, vt in voce, Abracadabra, multi imaginantur & eiuſmodi aliis: Id enim non innuimus, ſed noſtræ coniecturæ de literis R. C. pro ſymbolo vſurpatis Fraternitati, ſaltem cauſas & demonſtrationem reddimus: Fingat ſibi alius alias, pro libitu, cui non contradicimus: Clode no marri im iun dicſit udaoltan pleſaritto: Ieait os Vperrimit cegmuſiemon tus pol-copitto, im oe igmon cemſlu muſalun, im hec muſaluron os immuſaluron. Hæc eſſe vera, nemo negabit, qui noſtra ſcripta mente perluſtrauerit.

Non

Non multum de verbis curandum, quidam inculcent philoſophi, ſi de rebus cōſtet, cum res ſint abſque verbis, non verba abſque rebus quid ſignificent: Laconiſmus quidem eſt in R. C. quoad literas, ſed Aſiana redundantia, quoad intellectum: Cum quidam rex minitaretur Laconibus longa ſcriptione, niſi ſibi gratificarentur in negotio tum præſenti, vel exquiſite explicarent, cuius eſſent animi, Lacones Epiſtolæ Regiæ aliam quantitate correſpondentem, nihil in ſe, niſi has duas literas maiuſculas, O Y. continentem remiſerunt, indicantes ſe eius verboſitatem vno NON, reſtringere, & minas atroces, vix duobus apicibus vel jota æſtimare: Nec enim curandum eſt ſemper, quantum, ſed quale dicatur, cum bonitas paucioris prępondéret magnitudini maioris, ſeu qualitas quantitati.

Hinc canina illius litteræ R rabies & media illa C. Luna non ſunt deſpicienda Elementa: Si enim Sol illis medius adueniat, cor efficiunt, quod primarium eſt in humanis viſceribus, ſi ſynceritatem coniunctam habeat, ſacrifi-

cium vnicum Deo gratum, quo ad voluntatem, existens.

Cap. XVII.

Sexta & vltima lex est, Fraternitatem R. C. centum annis occultari debere.

CVm vulgus quid occulte geri vel habere sentiat, nec causas tantæ rei intelligat, mox ex Idiotica sua imperitia iudicat, id esse malignæ proprietatis ac erubescere, vt in prospectũ veniat; Mala, inquit, in tenebris fieri solent: Hoc qualecunq; sit, non audet videri, palpari, diiudicari: Ergo malum est: Cumq; hãc apud se captionem alogisticam formarit, in ea, tanquam re bene confecta, acquiescit & Censoriam stringit virgulam, vocans id pessimum quod occultum, & fugiendum vt vitium, quod ignotum sit.

Idem arbitrii sacra illa Eleusinia antiquitus abditissima habita & reliqua omnia eius census passa sunt; Cur nõ in aprico geruntur, quæ sunt honesta, quærunt

per

rmulti,cur si fugiũt oculos & iudicium
nestorum,nõ omnino supprimuntur?
uasi omnia honesta arcana propalan-
isint, aut inhonesta non cognita: Quic-
id in thesauris & gazophylaciis princi-
m continetur, imo in cancellariis aut
cretorũ claustris,an hoc omne,quia ho-
stum vel bene partũ sit, eliminandum,
lgi oculis & manibus exponendũ? Ne-
 sanę mentis hoc dixerit,nisi forte prę-
torio sit animo, & adunca manu: Ad
eudologysmum illum dico, ꝙ infœlici
ortu natus sit: Maior n. si negatiue (iux-
terminos minoris) intelligẽda sit, pure
gãtes nihil cõcludunt; si minor vero af-
matiue, vt maior: Mere affimãtes in se-
da figura nihil sequit; Si alterutra nega-
e & affirmatiue, quatuor termini non
nt syllogismũ. Cum itaq; simile iudiciũ
t de Fraternitatis occultatione, simile
ponsum nobis erit in promptu, quod
rem iudicatam cadere debet: Cur vero
atres R. C. latere non debeant in loco
ersonis, cũ in latibulis non semper hę-
ãt, sed maxime per mundum, vt sapien-
, quib. omne solũ patria est, versentur?

Cur non peregrinentur incogniti? An forte, si agnoscerentur, tantum boni expectent, an plus mali? Qui multum & sæpe homines & terras obeunt, multa dicuntur hospitia experiri, pauca candoris fœdera, varias blanditias, nullas fere amicitias, ita vere dicendas: Si hoc etiam illis, qui ortu, nomine & officio agnosci nõ refugiunt, contingit, nulla est causa, cur se quis totum aperiat & quantus qualisq; sit, omnibus absq; discrimine ebuccinetur: Dicunt ne tam sacræ quam prophanæ literæ, nos omnes in hoc mundo esse peregrinos, ac cœlum appeti debere pro patria? Nil itaque mirum, si peregrinus peregrinum non agnoscat: Peregrinantur mortales etiam in natali solo, proprio agro & paterna domo, respectu veræ & permanentis patriæ, suntque congentiles omnes: Et econtra in patria viuunt, etiamsi orbem terrenum perertẽt, mundana: Ciues & exteri in nullo differunt: Vnde eandem viam esse, alii dicũt ex hac vita migrandi in aliam siue bonam, siue malam, vndecunque instituatur: Cur itaque non se absconderent à mentibus illo-
rum

rum, quos probe non habent cognitos, ab oculis, auribus & linguis vulgi, etiam tum, cum videntur, audiuntur & nominantur ab illo? Lupus in fabula esse dicitur, cũ quis præsto est, qui longius abesse putatur: At in his nihil minus, quam quid lupini est aut vulpini: Omnia syncere & beneuole agunt, & aliquando adsunt etiã illis, à quibus desiderantur insciis: Si hoc est, occultari, *Vlysses* ille, qui fingitur tot vrbium & gentiũ spectator, toto vitę suæ cursu delituit, quia plurimum peregrinatus est: An non potius Cyclops ab eodem deoculatus, vt vrsus in latebris & cauis, insenuit, qui gloriatus est, se neque solem orientem & occidentem vidisse vnquam, nec timere Deorum quemque, nec colere nisi vnum, nempe ventrem suum?

Huic persimiles multi in orbe degunt, qui magis facto, quam verbo sese eius imitatores declarant, in mediam stertentes lucem, vino somnoque sepulti, instar Sileni illius, *Hesterno inflati venas, vt semper, Iaccho*: qui ventri ingerunt, quicquid à diuersis mundi locis comportatum est, seseq; saginæ potius, quam sapientiæ man-

cipant: Hi omnibus agniti vicinis ſub vi-
tiis occultantur ſuis, hoc eſt mens eorum
rationalis ſub brutali œſtro corporis, qu
non bibunt & comedunt, vt viuant, ſec
vice verſa, viuunt, vt bibant & ligu riant
habentes animam (vt ſuillum genus) in
corpore, ne hoc putreſcat, pro ſale: iiden
ea exercitia luxuriandi noctu, diu, conti
nuant, putantes honeſta, ideoq; non pal
lianda, multis cõmunia, & hinc nõ abhor
renda aut tegenda, ſed aliis quoq; pro ex
emplis miniſtranda.

Helotas Lacedæmonii ebrios & ſcu
riles pueris ob oculos in ludibriũ ſtatue
runt, vt eorum deformitate oris & mor
deterriti abſtinerent ab ebrietatis viti
quod Lycurgus in legibus inſtituit: At h
magis alliciunt, quam deterrent alios a
pud noſtrates, & mos malus bonam nat
ram corrumpit.

Tegantur prius hæc & ſimilia center
vitiorum plauſtra, tanquã inhoneſta, tu
pia, peſſimi exempli, malorum irritame
ta, & extirpentur omnino, & abſq; dub
ſi omnia, quæ bona ſunt & latẽt tanqua
arcana, in lucem proferãtur, inuulgent

& cu

& cunctis innotescăt, tum quoq; Fraternitas R. C. non erit postrema in sui detectione, cum se tegendi causas nullas habeat: At vereor, illa magis dici, quam fieri, optari, quam expectari posse: Plurima enim mala sunt & manent in consuetudine hominum, adeo etiam vt pro vitiis nõ agnoscantur, sed virtutum externos vultus mentiantur: Et ecõtra, quia mala bonis præripuerint locum, nõ pauciora sub occulto naturæ gremio, sapientumq; delitescunt bona. Hanc forsitan causam habuit Fraternitatis primus Author, cur voluerit lege quadã pręcipere, vt tota illa societas centum annos maneret ne nomine cognita, quia tanto dono non patere subsellium eo dignum in mundo pręuiderit, omnibus à vitio p̃occupatis, sperãs tanto temporis intermedii spacio occasionẽ oblatum iri, quo virtus prædominet᷑ vitio & veritas errori: Videmus quoq; & agnoscimus interim maximã in mundo mutationẽ, quo ad artes, pręsertim per Germaniã contigisse, multa dona inuenta, abusus varios taxatos & remotos, nitorem artibus quasi omnibus restitutũ, &

ad maturitatis flores peruenisse fere omnia: Cur igitur cunctandum foret diutius, quo minus Fraternitatis nomen innotesceret ex Fama, Confessione & aliis libris? Certe si authoris primi mens bene inspicitur, voluit ille centum annis hanc societatẽ tegi debere, & per consequens, post id temporis licitum fore fratribus, vt scriptis aperiatur: Præterfluxerunt autem ducenti anni inde, cum primo ea lex lata est, huc vsq; vt superius demonstrauimus, nempe ab A. C. 1413. in A. C. *1613.* circiter quod tempus Fama primo sparsa est: Quamuis vero eius detectionis non fiat manifesta expressio, eaq; inde rationabiliter magis, quã secundum literam, educatur, tamen post, aperto monumento & sepulchro primi authoris (quod circiter A. C. 1604. contigisse coniicitur ex natiuitate & ætate eius, additis annis prophetiæ, post 120. annos patebo: Nam *106.* ad A. C. *1378.* faciunt 1484. & post 120. faciunt 1604) inuenti sunt in ea societate, qui manifestationem illam à prædecessoribus, prædictam certo affirmauerint.

CAP.

CAP. XVIII.

Quid commodi vel incommodi ex Fraternitate illa in perpetuum tecta, vel certo tempore (vt iam factũ) detecta, Reipub. & literariæ accidere poßit.

EX productis huc vſque Fraternitatis R.C. legibus nihil mali ſuſpicari aut præſumere reuera quis poſſit, niſi forte ſit natura Aranei malefica, qui ex floribus quoque fragrantibus, vnde apiculæ mel comportant, venenum exſugit, non quaſi proprie venenum melli ſit adiunctum, ſed quod alias optimum mel in veneni ſpeciem corrumpat, dum neceſſum ſit, quod alimentum tranſeat & aſſimiletur in ſubſtantiam & naturam aliti & non econtra: Phalangium, beſtiola quidem exigua eſt corpore, ſimilis formicæ, (maior tamen) ruffo capite, alias nigra, albis intercurſantibus reſperſim guttis, at acerbiſſime pungit, in Sardinia lethifera

eſt ita vt puncti Sardonio (vt dici ſolet) ringentes riſu pereant, niſi debite per medicinas curentur.

Huic perſimile venenum Pſeudocritici quidam per aculeata ſua ſcommata in hanc Fraternitatẽ, eiuſq; leges, ſtringunt, bilem capite, nigrorem pectore, candoris nonnihil ſimulante & prę ſe ferente, pronentes: Sed nos illi remedium quæremus accommodatum ex ſuo genere oſtenſo vel cantu tibiarũ iucundiſſime modulato, ſi alia defuerint Alexipharmaca.

Quid, inquiunt, commodi ex Fraternitate illa detecta ad nos, quid non potius incommodi, peruenit? Nil inde nobis ſeritur aut metitur, ſed audimus permultos ſub hoc nomine fallere ſeſe & alios, dum non paucos comminiſcantur, quos vendant, dolos & occaſionem confuſioni præbeant non tolerandam.

Fateamur, nullum eſſe bonum ea dote præditum, quod in abuſum rapi nequeat, ſed omne qualecunq; ſit, peſſimæ patere voluntati maleuolorũ: At propterea non illud abiiciendũ erit, ſed malum accidens ſeparandum à bona eſſentia, abuſus à legitimo

gitimo vſu, quo fruendum: Ita Fraternitatē, eiuſq; leges, eſſe bonæ inſtitutionis, magni conatus & optimi effectus, nō dubitamus, ſed accedente ad eā malitia hominum quorundam male feriatorū, multas ſuſpiciones & dubitationes in plurimorum animis relinquit: Quas etſi peculiari tractatu, Silentio poſt clamores, fuſius refutauerimus iam ante, tamē ne deſit & hiſce legib. ſiue aureæ Themidi, noſtra opella, hoc capite breuiter de cōmodo vel incōmodo ex ea Fraternitate ſemper remanente tecta, vel nunc detecta ad Remp. ac literariam redundante, diſſeremus: Quatuor ſunt bonorum ſumma genera, neceſſarium, honeſtum, iucundum & vtile, quibus homines mouentur ad rē ſiue ſubiectum aliquod amplectendum, aut contrario ſenſu auerſandum vel fugiendū: Ex iis priora duo ſunt magni cenſus & anthoritatis, reliqua minoris: Verū hæc non raro apud multos præponderāt & præferuntur illis, ſiquidē humana natura multum teneatur iucundo & vtili, ita vt ſi alterutris carendum ſit, aut neceſſariis & honeſtis, aut iucundis & vtilibus, in hæc ruat, vt amiciſſima & illa

relinquat, vt dura & aspera: Inde iucunditas & vtilitas potius consideranda hic venit, quam alia, sic, ne diuortium faciant à necessariis & honestis, nec cum iis aperto Marte pugnent: At quid vtilitatis ex Fraternitate nunquã aperta vel cognita, aut damni? Neutrius plus, quam nũc inde ad Æthiopes vel Indos proueniat: Illi famã hanc non audierunt, nec confessionem cognouerunt & si hanc & illam percepissent, pro fabulis haberẽt, aut si verum existimarent nonnulli, quia tamen ad se non spectet, nec vtilitatem, nec damnum sibi adferat, instar cassæ nucis æstimarent: Vt enim nihil ad nos Indorum metalliferi montes & fluuii spectant, aut quomodo illi Elephantis pugnent aduersus suos hostes, aliaq; illorum negotia, sic nec ad eos nostræ artes aut dotes: Si Fraternitas latuisset, nec se scripto aperuisset, nullus defectus tamẽ in scientiis & doctis viris fuisset, cum illius apertione, (siquidem incognita maneat) nulla accessio aut numeri augmentatio ad eos facta sit: Non defuit Argentinus vel Æsculanus vnquam ante id Germaniæ, qui dii nũc, vt semper, ma-
gis

gis arrident diuitibus, quam pauperibus: Nec defuit Æsculapius vel Hygieia, hoc est morborum curatio aut sanitatis conseruatio: Scientiæ quoq; & artes antehac fuerunt restauratæ & purificatæ, præsertim hoc vltimo annorum centenario, seu seculo, vt nullo purificatore aut elucidatione magis opus habeant, nisi velimus, vt instar Polyporum in fame, ipsæ se conficiant suaq; membra corrodãt: Nil enim superfluum aut deficiẽs in artibus obseruatur, quæ tot Criticos & censores hactenus expertæ sunt: Vice versa, si eadẽ Fraternitas latuisset, sunt qui & commodum ex eius latentia maius sperassent, quã detectione: Namque, inquiuns, nulla superuacanea curiositas hominum mentibus, qua se inani studio macerarent instar Corydonis illius frustra Alexin insequentis, iniecta esset, non tot Polypragmones & suarum rerum obliti eos, qui latent, quærerent, nec frustra Echo eos respondentes expectaret, non tot diræ in nusquam apparentes effunderentur, nec multorũ spes & desideria ex promissis illorum cõcepta, cum luctu & querela eorundem

peni-

penitus confunderentur: Quid multis? Non tot cõfusioni occasiones præberentur. At hæc quia aperte falsa sunt, nõ amplius prosequimur, cum ex dictis dicenda argui & concludi possint: De bonis vel malis incognitis incognitæ Fraternitatis satis, nunc cognitæ commoda proferemus.

Tanta nunc est in mundo omnium rerum abundantia, specierum diuersitas, indiuiduorum multiplicitas, vt non facile ad sensum percipiatur incrementum vel decrementum singulorum, multo minus vniuersi: Hinc Personæ, dum viuunt, etiam summæ in terris spectatissimæ, necessariæ & vtilissimæ, si fatis cesserint, vniuerso nil defectus pariunt, cum alii succedãt aliis; Et nihil fere est quo, exceptis ad vitam necessariis simplicissimis, homo carere non possit, si alia sint ad vsum præsentia & absentis vnius locum supplẽtia.

Hac ratione quoq; Fraternitas si occulta penitus mansisset, nihilominus mundus absolutus & integer fuisset: Bonum enim incognitum vix desideratur vulgo, neç eius absentia prænoscitur, nec vtili-

tas æstimatur: Talia esse quamplurima in naturę profundo abdita, non est dubium: Nemo imaginari potuit, esse nouũ mundum, Americanum iam dictum, ante Columbi inuentionem, eiusq; detectionem: Nullus Typographiæ bonum vel vtilitatem ponderauit ante eius productionem in vsum, tot scribis in scribendo occupatis atq; inde vitæ necessaria lucrantibus: Mundus absque his inuentis defectum passus nõ esset, nec quis bonum incognitum hoc sensit, antequam apertum fuerit: Vnde nos multum commodi ex binis illis iam cognitis bonis, ex consequenti iudicamus, (quia id sentimus) ad hunc mundum peruenire, quo prior perfectio mundana auctariũ accepit vberrimum.

Vt enim nulla linea adeo longa est, nec corpus tam magnum, cui non aliqua portio adiici possit, ita quoque mundi perfectio nõ adeo apparet absoluta, quin noui inuenti additionem admittat.

Eundem ad modum Fraternitatis apertæ vtilitas mundo absolutionem non diminuit, sed multipliciter auxit, ꝙ quomodo fiat, si quæratur, respondeo: Per

naturæ, magnæ matris, bonorum & arcanorum scientiam, vni Fraternitati concessam, nec aliis, nisi longissimo annorũ curriculo per aliquot myriadas experimentatorum inuestigandam: De Antęo multimano, immẽsæ longitudinis gigante, fingunt Poetæ, quod cum Hercule ad luctam commissus sæpius in terram prostratus recuperarit vires matre tacta (terræ enim filius erat) maiores, nec vlla arte aut robore vinci potuerit, donec ab Hercule dolum præsentiente in aerem subleuatus, brachiis compressus violentissime, expirarit: Per Herculem autem laboriosissimum Artificem & Philosophum exercitatissimum, denotari in Hieroglyp. lib. 5. copiose demonstrauimus, & per Antæum subiectum philosophicum, in quo contrariæ sunt vires: Hoc non facile agnoscitur cum vbiq; lateat & in propatulo sit simul, hoc secũdum intellectum, illud sensum accipiendo, & si cognitum sit, præparatio tamen manet in obscuro: Eius parens Terra est philosophica cuius vis & proprietas cum inexplorata habeatur, hinc Antæus ille à matre sua occulte

cor-

corroboratur, & ſic omnis actio in vanum in Antæo trucidando conſumitur & adhibetur: Non abſque cauſa Oſyris ad peregrinationem Indicam (vt Ægyptii tradunt) ſe adcingens, Iſidi Promotheum vt conſultorem, Mercurium, vt gubernatorem, Herculem veluti prouinciarum præſidem, adiunxit, quorum maturo conſilio, ſubtili artificio & immani labore ad negotia ſua perficienda nunquam non vteretur, hoc eſt, in Vulcani officina, & Æde aurea, vbi Apis paſceretur: Horum enim trium ſingulæ dotes & operæ requiruntur omni artifici philoſophico: Quid hæc, dices, ad Fraternitatem R. C.? Maxime: Illi enim Antæum iampridem ſubiugarũt & Herculeas ſuas vires & potentiam, nec non Mercuriale ingenium & Promethei prouidentiam, ipſo effectu demonſtrarunt & libris ſuis editis in lucem atteſtati ſunt, ne opus ſit de nouo Terrę emiſſitiam virtutem ignorare, admirari vel ſtupere, inquirere, eiq; remedium idoneum inuenire: Hæc eſt Fraternitatis illa ſcientia ex Terræ abditis & profundis hauſta & producta, quam

M ite-

iterum perdere & ingrato animo ad natu-
ræ latebras relegare, esset imprudentis &
temerarii: Nemo est in Chymia exercita-
tus vel tantillũ qui hæc nõ intelligit: Qui
Indias Orientales & insulas petunt naui-
giis, aqua dulci carere nequeũt, & si in lo-
co quodã noto fontem limpidissimũ in-
uenerint, summa diligentia annotant in
chartis & libris, vt sequentes ipsi vel alii
eiusdẽ beneficio fruãtur: Multo magis in
Indica hac peregrinatione (q̃ Olyrin &
Dionysiũ, Chymica subiecta, nõ sine cau-
sa peregisse narrãt) inuẽto tã dulcis aquæ
saliente riuo, ad multorũ sitim extinguen-
dã vtilissimo, ille nõ amittendus aut floc-
cifaciendus erit: De aqua philosophorũ
viua, quã passim Authores, & Geber inter
eos, laudibus suis in cœlũ euehunt, nõ de
alia quacunq; mortua, mihi sermo est: In-
dagata hac vna, non opus erit Penelopes
telã texere & retexere, cũ Vlysses, seu er-
rabundus artifex sit præsens, nec Sisyphi
lapidem voluere & reuoluere, Tantali si-
tim sitire & famẽ famere: Totum n. vno
artificio pficitur, vna via, vno igne natu-
rali (nõ neglectis adhuc aliis tribus, inna-
turali, contra naturã & occasionato) vno

vaſe, tempore, labore; quod tamẽ dextre intelligendum eſt. 2. Ad eiuſdem naturæ ſcientiam, manu & mente Fraternitatis R. C. tenendam & ad poſteritatem ſeram tranſmittendam ſpectat liber M. qui abſq; dubio omniũ artium in mundo vtilium ſummã perfectionem continet incipiendo à cœleſtibus & vniuerſalib. Harmoniaq; mundi Muſica, & deſcendendo ad omnes alias ſcientias: Mens n. hominis, nõ idiotici, deſiderat omnia, quæ ſunt vera in mundo, ſcire, falſa ſeu nõ entia refutare & intellectũ pulchris, honeſtis & vtilibus axiomatis pficere & decorare: Et hæc omnia nõ ad ociolam & nudã ſpeculationem, q̃ per ſe iucunda fert florẽ quidẽ, ſed abſq; fructu, inſtar ſalicis frugiperdę, ſpectãt, ſed quoq; ad ipſam praxin, quę eſt naturalis Sophia, in qua effectus reſpondent ſuis cauſis. 3. Ne quid de Phyſicæ illa parte, quæ remedia morbis propria & ſpecifica accommodat, dicam, cuius ſupra ſatis memini. 4. Deniq; habẽt iidem Fratres, neſcio quid arcani maximarum viriũ, quo ſe poſſe & velle ſuccurre vni, ſi quãdo opus ſit, perſonæ, quo pie-

tas, iustitia & veritas superiorē locum obtineant, nec supprimantur à suis cōtrariis vitiis: Hoc qualecunq; sit, nō nostrum est exprimere, sed tēporis: Faxit ille, qui gubernat omnia humana, tenui pendentia filo, vt ad laudē sui nominis, totius Reip. Christianæ & Germanicę emolumētum, omniumq; nostrum salutem & commodū, hęc & his similia magni spiritus conanima referātur & spectent, quod vnice ardentibus votis à nobis & piis omnibus optandum est.

Cap. XIX.

Quod multa fabulosa sub Fraternitatis nomine spargantur, quorum tamen non illa, sed effrenata multicipitis beluæ, hoc est, vulgi, iudicandi de non intellectis libido, causa sit, vt solet quoque in aliis.

Fieri non potest, Fraternitate ita in genere detecta, in specie vero vel indiui-
duis

duis adhua latente, quin multa incredibilia, inconcinna & aperte falſa ſub eius nomine ſpargantur: Solent enim res viſu ipſo vel auditu, aliove ſenſu probatæ, longe aliter quam reuera ſint, narrari, à ſingulis pro captu aut libitu adiectis nõnullis tantiſper, donec omni veritati contrarientur, ab ea δὺς διάπασῶν diſcrepantes; idque contingere videtur vel ex imbecillitate diſcretiuæ vel memoratiuæ virtutis, aut ex mala ratiocinatione, vel affectu & voluntate, quæ vt dictis vel auditis fauet, vel inuidet, vel ſuccẽſet, ita fert calculum & iudicat: Qui diſcurſu deſtituuntur & memoria, merito ſe continere deberent, ne audiant illud vulgatum: Ne ſutor vltra crepidam: Illi n. ad epulas huiuſce conuiuii philoſophici non ſunt inuitati, multo minus ꝓ teſtibus aut arbitris in tanto negotio diſcernendo & diiudicando ab aliis admittũtur: Teſtis cęcus quid teſtabitur, ſe vidiſſe, aut ſurdus audiuiſſe? Qui ratione imperfecte vtuntur, ſeipſos decipiunt & alios: Putant enim ſe percipere quod non eſt, tanquã eſſet, aut quod eſt, tanquã non eſſet, hoc eſt falſitatem pro veritate,

& vice verſa, amplectuntur: Tricas ſibi iniectas non intelligunt nec defectum mentis,(niſi alia & integra mente) animaduertunt: Nihil ſupra ſe aſcendere poteſt,vt ſe in profundo iacentem contempletur, quod eſt intellectus agentis, quo dicti non vtuntur: Qui ex affectu amoris vel odii veritati aduerſantur,aut voluntate ab intellectu agente non directa, plus vel minus, vel aliud, quã par eſt, loquuntur aut ſtatuunt in Fraternitatis negotio, maleuoli habentur ſeu peruerſi: Quod cornices ſunt in auguriis, hoc illi ſunt in arbitriis, id eſt, nunquam non ſiniſtri & loquaculi: Verum deſinant anſeres, ad ſaginam reſeruati, cygnis Phœbeis obſtrepere: Intermittant graculi fides tractare: Ceſſent Grilli amaracino ſe polluere: Nõ eſt hæc aqua, piſces, in qua vos natetis, non eſt hoc ſtudium vel ſtadium, in quo vos curratis vel exerceamini: Redite ad carceres, nec pedem inde mouete elumbes & plumbei: Quid opus eſt in Fraternitatis nomẽ fabulas congerere atq; illi veſtras gerras & nænias aſſcribere? Viri docti & prudẽtes ab iis ſunt liberi, vos autem

non

non item: Vos estis amurca olei & tartarũ vini, à quibus veluti fęcibus, tã minerua, q̃ Dionysius abhorret: At quæretis, quas fabulas sparseritis? Respondeo, nõ est operæ preciũ, eas hic narrare vel repetere, quas alibi, sub silentio post clamores, satis indigetauimus: In eo cõueniunt omnes, quod innocuæ Famæ & syncerę Confessioni Fraternitatis multũ detrahatis, nũc pro hęreticis, magis, nigromãticis deceptoribus, exploratorib. & Reip. perturbatoribus illius socios habẽtes: O tempora, ô mores: quousq; abutemini vestra illa effrenata maledicẽdi inoportunitate? quẽ ad finem sese iactabit illa maleuolẽtiæ rabies: Quid sibi vult istę calumnias innocentibus intentãdi furor? An nõ satis indultum est loquentiæ? Non sunt illi tales, quales ex vestro iudicãtur ingenio: Nihil, vt opinor, habẽt prauitatis hæreticæ, nisi forte addicti Deo, pietati & sacris scripturis, eo solo nomine hæretici vocandi sint, quod fieri nequit, nisi ab impiis & hæreticorum pessimis: Nihil habent magiæ, nisi naturalis scientiæ, ne minimum Negromantię, nil deceptionis aut doli: Quæ ex-

plorāt, in nuliius incommodum cedunt, ſed in illorum vtilitatem: Nec arbiter eſt cōſulendus in hiſce, niſi à fratribus ignorantiæ, quorum ordo (Patauii in deſtillandis aquis ſimplicium ad Pharmacopęorum vſum duntaxat occupatus) nunc prævalet in mundo, plurimis tacito conſenſu ſe illi addicantibus: Nil magis hi oderunt, quam ſcientiam nimiam, ideoq; omnes quæſtiones propoſitas vno, Neſcio, tanquam Tenedia bipenni ſoluunt & enodant, eo fœliciores, quo ignorantiores: Alii vero ab his diuerſi eo ſe beatiores vere ſtatuunt, quo plura cognouerint, id enim diuinitati proximū & intellectui vniuerſitatis capaci cōgruum non iniuria æſtimant: Inde non ſolum continua lectione, ſed etiam exploratione rerū opus eſt, ſine qua ſenex bis puer & quilibet alius indiſcretus eſt iudex: Sapientis eſt, ſi poſſit, omnia ſcire, cum non poſſit, quamplurima: Magni principis, procul videre & audire quoq; longius remota, & in hoc differt à vulgo, tam hic, quam ille: Vtriuſq; has proprietates Fraternitas nō immerito imitatur, vt omni perfectioni magis

magis appropinqűet: Quod de perturbatoribus Reip. inuehitur, plane calumniosum est in Fraternitatem: Nihil enim ex illis quiſpiam perturbat, ne minimo in Remp. iniurioſus: nec credo illa omnia, quæ à calumniatoribus dicũtur, alicui ſtatui tantillum nocere poſſe: Sunt enim ficta & excogitata in calumniantium cerebro, eorumq; linguis in aerem effuſa, nec vllius veritatis, nec efficaciæ: Sint, qualiacunq; velint, redeant ad ſuos authores, illorumq; iugula premant, quia ad Fraternitatem nõ magis ſpectant, quam conuitia ad illum, qui iis oneratur & læditur: Si de iniuriis ſibi illatis conquerendum ſit, id maxime Fraternitati incumbit, non iniuriantibus: Quod tam multæ ſint hæreſes in Chriſtiano orbe, an ſacræ literæ ꝓpterea incuſandæ ſunt, vel abiiciendę, vel prohibendæ omnino? Abſit, quia hominum peruerſitas, illis abutẽs potius coercenda foret: Ita quid hoc ad Fraternitatem, ꝙ multi in ipſam blaſphemias conuehunt, & calumnias ſpargunt? Si accuſare ſatis foret, nemo non rei nomen aſſumeret à quolibet actore: Si calumniari

sufficeret ad probationem, nemo accusatus absolui posset, iustum, iniustum, verum, falsum, album, nigrum, rectum, curuum, vno discrimine venirent, quod ab omni ratione alienissimum est.

CAP. XX.

Quod Fratres R.C. nullam reformationem in mundo, religione, Iudæorum conuersione, Politia, qualem Enthusiastæ quidam etiam ex sacris adducentes ad id probandum sententias, somniant, sperent aut intendant, at veritati & iustitiæ se semper addictos testentur.

VT homines quicquid in mente & votis habent interdiu, sępe solet noctu illis in phantasiam recurrere, iuxta Claudiani versus:

Omnia

Omnia quæ sensu voluuntur vota diurno,
Pectore sopito reddit amica quies:
Venator defessa thoro cum membra reponit,
Mens tamen ad syluas & sua lustra redit:
Iudicibus lites, aurigæ somnia currus,
Vanaque nocturnis meta cauetur equis.

Ita quoq; desideria cuiusque compleri præsumuntur, quam primum vel leuissima occasio eorum seu mentio sola se offerat: E g. qui ditari expectant & cupiunt, nihil lucri negligunt, nihil laboris subterfugiunt, nihil spei amittunt, vt id perficiant, quod habent in animo: Si qui mutationibus Politiæ, religionis, artium vel scientiarũ suas cogitationes intentius infixerint, leuissima quęq; insectantur, vt id fiat, secundum voluntatem eorum: Hæ causæ fuerunt multorum in Rep. tumultuũ, quibus deliræ persuasiones non raro principiũ & fundamentum præbuerunt, vt in Anabaptisticis & Enthusiasticis motionibus nimis conspicuũ euasit: Esse insuper nostro æuo quamplurimos nouitatũ studiosos, conturbationẽ magis, q̃ reformationem multarũ rerum appetẽtes, & animo præcõcipientes nescio q̃ Reip.

lite-

literariæ & religionis formã, forte Idæam ciuitatis Platonicã, indubitatum eſt, qui poſtquam de Fraternitate R.C. obſcuros dubiæ auræ rumuſculos & Famam, audiuerint, nunc ſuis deſideriis ſatisfactum iri arbitrati ſunt: Illos n. tam opibus, quam ſapientia inſtructiſſimos & poſſe & velle vniuerſalem reformationem in mundo inſtituere, omnino ſibi ſunt polliciti: Ideoque ſuam opinionem tuto euulgant & fratrum dictorum authoritate ſtabilitam & confirmatam defendunt, dictãtes, Imperium vnum, vnam religionem, vnam concordiam diſſentientium, Iudæorum conuerſionem, (& veluti nos gentes ex ipſis noſtrum Meſſiam, Chriſtum Ieſum, accepimus, ſic eos ex nobis ſuũ acceptu-ros) & his ſimilia iam iam inſtare: Sed hęc eſſe figmẽta fabricata in Enthuſiaſtarum cerebro, hic declarabimus; Nec n. Fraternitas R.C. eiuſmodi vnquam aſſeruit, nec id ex eius ſcriptis eliciendum erit: Eſt quidem Reformatio totius mundi tractatu quodam Famæ Fraternitatis adiuncta, quæ nullo modo ad hanc referenda, ſed veluti à Viro docto accepi, ex Italico idio-

mate

mate antehac translata, quasi vnius nouitatis aut sensus esset, cum Fama edita est: De Reformatione artium ibi quid legitur, tentata à primo eius ordinis authore, ante ducentos & 17. fere annos, nempe circiter A.C. 1400. Et sane tum temporis Reformatione quadã indiguerunt, quam nonnullæ earum acceperunt hoc vltimo seculo, vt cæteras gentes taceam, in Germania, à Rudolpho Agricola, Erasmo Roterodamo, tanquam duobus luminibus omnis bonę literaturæ, à D. Luthero, Philippo Melanchtone, Theoph. Paracelso, Ioh. Regiomontano, Copernico, Tychone Brahe & aliis innumeris, de quibus in tractatu de VERO inuento ex professo agemus: Nec dubium est, adhuc maiorem Reformationem posse institui ab iis, qui naturæ latebras magis cognitas habent, quam alii: Ex his nihil de Repub. aut religionē induci potest: Tyrannidem in religione occupatam & tanti temporis præscriptione possessam illi, qui Septicollem falso sibi asscribit vrbem, Aquilæ Germanicæ subiectam, Regum ceruices (instar superbissimi illius Sesostridis Ægyptii)

gyptii) calcare solitus & regna ad se trāsferre verbis, quasi alieno labore & sanguine partam gloriā, vt Thraso apud Comicum, non excepero, sed vt in verā Christi ecclesiā, quæ non gladiis sibi regna quęrit aut tuetur, quā primo redeat, relictis mūdanis, vnice optamus; Et forte saltē optamus, quia lucrum, vtilitas & cōmoditas illius possessionum, nō admittit, vt pietas & veritas præualeat illis abdicatis, sed cogitur hoc esse piū & vere religiosum, q̃ maxime lucrosum possessori existit: Diuites & potentes raro audiunt verum de sese, & si audiant, facile vertitur in falsum; Causa hæc est, quia veritas nuda est & honestas simplex, diuitiæ autē & potentia vestibus non careant blanditiarū, adulationumq;: At Reformatio omnium hęresum potius ad Deum, quam hominem spectat, nec à Fratribus affectatur, licet ab omnibus bonis speretur: Illuminatio intellectus hic magis, quam coactio volūtatis valet: Hæc enim ab homine vt cogi nequit, sic ille à solo Deo illustrari saltem potest: Ille vnus dat posse & velle; ad quē hanc Reformationē referimus: Quis Iudæos adeo pertina-

tinaces cõuertat ad Christianismum, etiamsi potẽtia miraculorum clareat? Sunt quidem dicta in sacris, quæ eo detorqueri possunt, quasi ex Ethnicis illi Heroa, quẽ expectãt, accepturi sint, sed ea sunt nimis obscura humano intellectui, nec prodest Enthusiasmus, qui ea interpretanda assumit, nec se falli posse existimat: Experientia enim reclamat & rei impossibilitas, ita vt quę in verbis & concordantiis illorum, figurisq; affictis optime conuenerint, in rebus longissime à se inuicem discrepẽt, & magna sapientia in Moriam desinat: De iis, qui morbo animi, siue Mania, laborant, nihil dicimus: Hi enim, (veluti nec illi in hoc genere desunt) potius bonis medicamentis, quam documentis refutandi sunt, cũ potius misericordiã, quam elusionẽ, vt homines ab hominibus, mereantur: Fratres illi nunquam fuere Acephali, sed semper habuerunt seniorem, vt ętate, sic authoritate præualentẽ, cui ꝓ vt par est, obediunt & quiq; sua officia accepta referũt: Vtq; nõ est possibile per naturã, ab ignis substãtia separare accidẽtia ꝓpria caliditatis & siccitatis, sic nec ab hac

soda-

ſodalitate, virtutibus adeo inſignita, optimos effectus: Pietati ſedulo vacant, ſacras literas ſcrutantur per noctes & dies, dant eleemoſynas frequẽtes, vt ipſi teſtantur; gratis medicantur omnibus, omnem naturam inueſtigant, eiuſque arcana in experimẽta ducunt, aſtronomica, phyſica, mechanica, medica, chymica innumera habent veriſſima, quibus mirabiles producunt actiones: Sunt laborioſi, & minus ocioſi tum, cum videantur, frugales, temperantes, ſilentii tenaces, omnibus prodeſſe cupientes, quoad licet, & nocere nemini: Et vt multa paucis dicam, ſunt tanti, de quibus Fama mentiri erubeſcat.

Atque hæc de legibus dictæ Fraternitatis diſcurriſſe hoc loco ſufficiant.

FINIS.



